



GAUDEO

JOH. ISACII PONTANI

DISCVSSIONVM HISTORICARVM

Libri duo.

Quibus

Præcipuè quatenus & quodnam mare liberum vel non liberum clausumque accipiendum dispicitur expenditurque.

Accedit, præter alia,

CASPARIS VARRERII LVSITANI de Ophyra regione & ad eam Navigatione COMMENTARIVS.



HARDERVICI GELRORVM,
Excudebat NICOLAUS à WIERINGEN Gymnasij Typographus.
CIↃ. IↃC. XXXVII.

Ben Ware

Nobilissimo juveni

CHRISTIANO FRISIO

Viri Perillustris

D. CHRISTIANI FRIIS, *Toparchæ in Cragerup, Equitis aurati, Regiæ Majestatis Danorum magni Cancellarii, ac Regni Senatoris, præstātissimo* FILIO.

Sunt inter Hispanos, & in his præsertim clarissimus VASQUIUS, & inter alios quoque scriptores, exteros nostrosque, & eos etiam juris summè consultos, qui Mare esse liberum, mariaq; etiam qualiacunque naturæ ac gentium lege habenda communia, sequuti, ut videtur, authores suos, assertum voluerunt. Quibus se opponere ex adverso non timuerunt alij. Nam,

ut

ut isti omne Mare apertum ac liberum communeq; omnibus faciunt, ità alteram adversamque hi amplexi sententiam, omne vicissim mare, nullo in universum excepto, claudi haberique obseptum posse, demonstrare satagunt; Hi velut Janus aliquis Clusius, illi ut Patulcij meritò celebrandi. Hanc dirimere litem quis sibi unus sumat? Et quis quoque in se hancce suscipere, sit licet Herculeus, provinciam sustineat? Et onus id esse, etiam Æthnâ gravius, non videat, cum uterq; extrema sibi ac summa concedi efflagitet? Quid igitur? Nos nec in hanc, nec in illam partem proni, mediâ incedere viâ, & asserere nec liberum esse Mare omne, nec etiam claudi quodcunq; aut omne posse; & id non tam Themidis

ullius

ullius ſuadâ, quàm ipsâ rei dictante naturâ aſſerimus aſſerendumq; tutius putamus. Et id dum agimus, ità agimus, ut illud æquor citis, ut ſic dicam, quadrigis tranſvecti, ad ea, quæ hiſtoriæ ſunt, ſtilum quantocius atque imprimis vertamus. Etenim in foro hîc noſtro poſiti, modò oceanum illum magnũ, modò minora maria luſtrantes, & quid ibi Græciæ olim aut Romanorum gentiumq; aliarum claſſes vel tenuerint vel tenere potuerint, per ſeriem veluti ac rerum omnis ævi memoriam euntes, inquirere ſingula propius voluptati habuimus. Sed prçcipue ad orbem noſtrum, ſeu, ut appellare eũ Straboni placuit, borealem hanc Europam, oculos ac mentẽ referre conſilium fuit. Hîc, licet mare omne

ac universum possidere hominis non sit, quàm tamen latè suas classes boreæ illi populi huc illucque egerint, quàmq; passim maris potentes fuerint, vetustissimi authores nos docent, & tū vel maximè, cum interiores ac Galliæ propiores, nullis armati navigiis ac classibus memorantur. Plinius, qui Bergas Norvegiamque nominat, ex eâ in Thulen, id est Islandiam, navigatum adjicit. Et Tacitus Scandinaviæ populos extremumq; boream commemorans, eos *præter viros armaque classibus valuisse* asserit. Sed quid ego hæc hocce loci commemoro iteroque, suis quæque inferius pagellis, ubi se offerunt, propius pleniusq; discussa tractataq; ? Ad te potius, nobilissime Frisi, orationem referam. Nam te peregri-

nantem

nantem ſuperiori anno per fœderatū hoc Belgium, & ejus tot, tamq; vetera quàm nova, quibus certare propemodo cū eruditâ Italiâ nunc poſſet, viſentē Athenæa, & noſtrum hoc quoq; Gelricum, ex promiſſo cum viſurum expectarem, invidit id nobis ſubitanea tua in proximā Britanniam, & inde Galliam, profectio. Interim haud ultimo felicitatis loco habeam, quod te, unà cū eruditiſſimo D. Frederico Andreâ, tuorum ſtudiorum ut & aulæ prẹfecto clariſſimo, Amſtelodami atq; inde Trajecti ad Rhenum, ante id iter, ſalutare & alloqui: & te prẹſertim, illâ non minus heroicâ corporis eminentiâ, quàm animo quoque illuſtriſſ. patrem, ſereniſſimæ Majeſtatis ejus magnum Cancellariū, Chriſtianum Friſium

 egregie

egregie referentem videre coram contigerit: dum & de ſtudiis aſſidue, ſed iis maxime, quæ gentium ditionumque ac ſtatus cujuſq; rationem hiſtoriamque propius explicarent, ſermones nobiſcum cæderes ibidem, agereſque. Quin & eodem tum temporis momento, cum de iſto, quod nunc in manibus eſt, ad Daniæ potiſſimum res & hiſtoriam pertinente argumento, nonnulla interjicerentur, præclara multa, quæ boreæ oras populoſque, & horum præcipue navigationes ſpectarent, in medium adducentem te diſſerentemq; audire perquàm volupe nobis fuit. Quocirca nec aliò etiam quàm ad te, FRISI præſtantiſſime, eundum mihi, neque alij, quàm tibi, literariam hancce opellam noſtram, utpote

pote qui de eâ quàm optimè poteris judicare, deferendam existimavi: Deum opt. Max. orans rogansq; ut te per oras Europæ cultioris feliciter peregrinantem ducendo, tibi sanctissimo suo nutu spirituq; adsit, ac lætum postremò optatumq; suis omnibus sistat reponatque: Dab. Hardervici Gelrorum ipsis Cal. Martiis CIↃ. IↃC.XXXVII.

T. Generositati

deditissimus

JOH. ISACIUS PONTANUS.

Capitum

LIBRI PRIMI

Syllabus.

CAPVT I.

Mare Caledonium etiam hyperboreum dictum, Thule, seu, ut nunc vocamus, Islandia Norvegis adserta. Orcades certis legibus Scoto permissæ. Pag. 1.

CAP. II.

Britannis vitilia navigia non classem fuisse: nec ullas eos Vennetis, Galliæ populo, naves, sed socios subministrasse ex Cæsare ostenditur. Pap. 3.

CAP. III.

Oceani Septentrionalis dominium nuspiam Britannis, antequam à Romanis eßent superati, verum Norvegis potius & illis boreæ populis authores asserere. Pag. 6.

CAP. IV.

Oceani Britannici dominium, quod sub Claudio & Domitiano Augustis fuit, à Romanis captum ac constitutum, antea Britannis nullum fuisse ostenditur. Vennetorum, Galliæ populi, in mari olim potentia. Pag. 9.

CVP. V.

Constantij Chlori & Diocletiani tempora indicata. Francorum tum in mari dominatus. His oppositus à Romanis Carausius. Idem se Francis jungens ope eorum insulam

Britanniæ

Britanniæ ſibi vindicat. Quid claſſis Britannica explicatur. Pag. 15.

CAP. VI.

Comites Hiſpaniarum. Comites Saxonici littoris. id littus quod fuerit: quid item Tacito, Gallicum mare; & Ammiano Marcellino, tractus maritimus. aliaque Pag. 18.

CAP. VII.

Nectaridius maritimi tractus, non Saxonici littoris, Comes dictus. Claudiani verſus aliter, quàm cenſuit Seldenus, accepti expoſitique. Britannia alius ab Orbe noſtro orbis. Pag. 23.

CAP. VIII.

Britannos non liberaſſe ſe Romanorum imperio, ſed à Romanis paulatim deſertos, opem Saxonum, Anglorum ac Danorum imploraſſe: Eiſque unà cum inſula, quodcunque eſſet, ceſſiße dominium. Gaufredus Monumethenſis author fabuloſus. Pag. 28.

CAP. IX.

Dani Alfredo Anglo-Saxonum Regi auxiliares latè dominium per Britanniam exercent, mari ac terrâ præpotentes. Pag. 38.

CAP. X.

Danorum validiores in Britannia ſub Angloſaxonibus res, iique, his excuſſis, in ſe ſceptrum transferunt. Danegildum quid, ex Gul. Cambdeno monſtratum. aliaque obſervata. Pag. 42.

CAP.

CAP. XI.

Edgari Anglo-Saxonum Regis liberaliora de maris sui dominio elogia. Canuto Magno Danorum Regi, qui Angliam post eum tenuit, verius ea tribuenda. Pag. 51.

CAP. XII.

Gulielmus Rollonis Dani abnepos Conquestor dictus, superato Haraldo, novum Angliæ imperium inducit. Ejus ex stirpe hodierni Reges. Salvus conductus an dominium indicet. Littoris Britannici præfectus apud Eginhartum qualis. Pag. 55.

CAP. XIII.

Venia transeundi ac prænavigandi concessa aut petita quatenus dominium significet. Dissensus Seldeni & Cambdeni, circa Reginæ responsum, Daniæ legatis redditum. Conciliandi idem conatus. Pag. 64.

CAP. XIV.

De immensa quam tribuit Angliæ Albericus Gentilis, marinâ jurisdictione, paucâ posita. Liber piscandi commeatus tam exteris quàm Angliæ subditis aliquando concessus. Halecum apud Anglos fumo indurata-rum præeminentia. Halecum alibi affluentia & captura; earumque defectus. pag. 68.

CAP. XV.

Meridionale, quod Angliæ adjacet, mare, ulteriusque patet, Gallicum Mare Tacito dictum. item Aimonio quid Oceanus Gallicus. Pag. 76.

CAP.

CAP. XVI.

Actiones aliquot positæ, aliaque obiter indicata. Mare Anglicanum itemque Flandricum certis diplomatibus expressa finitaque. Pag. 78.

CAP. XVII.

Mannia insula Norvegiæ olim, non Britanniæ propria. vocabulo Mannoer utraque Mannia Norvegis intellecta. Manniæ reguli clientelares Regibus Norvegiæ. Mannensium Chronicon. Pacto ad Scotum transeunt Ebudæ sive Hebrides insulæ. pag. 81.

CAP. XVIII.

Sanctio Parlamentaria de Mari Hibernico, verbotenus posita, ac demonstratum de eodem mari aliud referri in annalibus Guljelmi Cambdeni. pag. 107.

CAP. XIX.

Norvegos esse indigenas, non, ut eos appellat Seldenus, exteros in Scotico mari inhabitatores. Norvegorum insuper ex Orderico Vitali in mari eodem dominium; aliaque aliunde demonstrata, pag. 112.

CAP. XX.

Explicatur Taciti locus de vasto boreæ mari. Albericus Gentilis, qui Tacitum pro se advocat, ex Tacito obiter redarguitur. pag. 125.

CAP. XXI.

Maris borei ac Islandiæ circumflui usurpationem penes Reges semper Norvegiæ fuisse. Daniæ Norvegiæq; Regum Erici & Johannis

diplo-

diplomata hanc in rem posita propiusque expensa, aliaque eodem spectantia. pag. 127,

CAP. XXII.

Posita verba ex literis, quas citat Seldenus, *Reginæ Elizabethæ. eaque explicata. Hullensium Anglorum piscatio in Mari circa Norvegiam inhibita. ejus causæ. aliaque eodem pertinentia.* pag. 145.

CAP. XXIII.

Groenlandia ejusque littus mareque id hyperboreum cum imperio omni Norvegis adsertum. Balænarum circa id littus captura. Pulmoneum hoc mare Pytheæ Maßiliensi; itē jecoreum, vulgo leberzee dictum Adamo Bremensi. Groenlandiæ præsulū index. quando adnavigari Groenlandia desita. ejusque causæ.

Capitum

LIBRI SECUNDI

Syllabus.

CAP. I.

M*Aris niversi dominio nullum Iuris genus obsistere, quod putat* Seldenus, *an locum habere poßit, quæsitum.* Pag. 165.

CAP. II.

Maris universi ac terræ dominium penes summum esse numen. Ea neque possessa unquam, neque ejus esse naturæ ut poßideri ab uno aut cludi queant. pag. 167.

CAP.

CAP. III.

Marium particularium apud Seldenum enumerationem, eorumque dominium, ad vasti oceani dominium momenti parũ adferre; imo & particularia maria, quæ vastiora sunt, imperio perdifficile contineri ostensum. p. 170.

CAP. IV.

De Maris olim apud Maßilienses, qui omißi Seldeno, itemque Vennetos dominio: ejusque periodo. pag. 171.

CAP. V.

Hannonis Pœni *navigatio. itemque Hispaniensium: & Arabum ex mari suo in Hispaniam, transito bonæ spei promontorio, profectiones maritimæ.* Salomonis *Regis ad Ophyram missa claßis.* pag. 176.

CAP. VI.

Populi *vocis apud authores non una acceptio. aliud portuum ingreßiones marisq; vestibula, aliud apertum publicumq; mare.* p. 179.

CAP. VII.

Enumerata aliquot peculiaria maria earũ gentium, quæ hodie florent aut floruere nuperrime. pag. 181.

CAP. VIII.

Garciæ IC. sententia posita, eaque aliter quam à Seldeno accepta. pag. 182.

CAP. IX.

Privatorum *aliquot marium à Seldeno enumeratorum recensus, de singulis obiter nonnihil dictum.* pag. 183.

CAP.

CAP. X.

De natura maris & aeris quæsitum. ostensumq; non omne aut qualecunq; mare, sicuti nec aer aut cælũ, posse dominio subijci. p. 188.

CAP. XI.

Littora quomodo ut limites capiendi? item mare, licet vastissimum an capax dominii? pag. 190.

CAP. XII.

De dominio Maris & Telluris, & quomodo ea ab Imperatoribus sumpta. pag. 199.

CAP. XIII.

Iterum de Mari; & quatenus id vel proprium vel non proprium habeatur. pag, 201.

CAP. XIV.

Excutitur prolixè Responsum Imp. Antonini de Lege Rhodiâ. pag. 203.

CAP. XV.

Lex Rhodia, Lexque maris quid Seldeno. deque naufragiis pauca addita. pag. 219.

CAP. XVI.

De maris communione; & quatenus ea admittenda, dissertatum. Vasquius Hispanus ejusque sententia propius explicata illustrataque. pag. 227.

CAP. XVII.

Mare magnum æque atque exiguum dominii capax non esse monstratur, addito totius disputationis epilogo.

Cætera, quæ sequuntur, suos quæque titulos præferunt.

Pag. 247 pro *Helenan hanc* leg. *Helenam etiam hanc.* in Erratis lin. ultimâ leg. 423. pag. 424. lin. 17: leg. *ceremoniis*, reliqua Errata vide sub finem.

JOH. ISACI PONTANI DISCUSSIONUM HISTORICARUM

LIBER I.

CAPUT I.

Mare Caledonium etiam Hyperboreum dictum. Thule seu, ut nunc vocamus, Islandia Norvegis adserta. Orcades ante annos haud multos certis legibus Scoto permissæ.

VIr ut eruditissimus ità multijugæ lectionis *Johannes Seldenus* Anglus, quod edidit nuperrime *Mare clausum*, ità edidit, ut dum mare omne, & ut ipse loquitur, qualecunque mare, claudi haberique clausum posse demonstrare conatur, oppidò latos hujus æquoris fines, non tam aliis, quàm Britanniæ præsertim suæ aperuerit. Si etenim totum illud, ut idem sciscit, omniaque austrum, orientem, occidentem boream-

Lib. 1. cap. 26.

boreamque versus qua patent maria, quæque longissime ac late Britannos circumfluunt, seque ad Hispanos Indiasq; occiduas expandunt, ad eosdem Britannos, ut dominos pertineant, olimq; pertinuerint, nonne excludi quodãmodo ceteros necesse sit? Nam de septentrione ut præcipue nunc dicam verba ejus hæc sunt: *Ad septentrionem oceanus hic, Hyperboreus, Caledonius & Deucaledonius nuncupatur, in quo sparsæ insulæ Orcades, Thule; aliæ, quæ Britannicæ seu Albionicæ item Britannides dictæ, mari alluenti nomen dedere.* At concedamus ità censas ac nuncupatas nonnullis eas insulas; tamẽ si & *hyperboreus* oceanus idẽ dicatur dictusq; sit, quid id ad Britannias. Quin & fatetur *Gyraldus* Cambrensis in topographia Hiberniæ, omnes non Orcades modò sed & alias, licet Britanniæ & Hiberniæ quam Norvagiæ viciniores insulas, Norvagiæ antiquitus fuisse obsequio ac reverentia subditas: quod Norvagorum scilicet gens, ita addit, præ ceteris oceanum velut i coleret, ac classibus suis assidue frequentaret. Et hodie Orcadenses etiamsi certis conditionibus, quæ in historia memorantur, Scoto jampridem cesserint, memorant nihilominus Daniæ Norvagiæque annales apud eos scyphum adhuc servari, quem divi

divi *Magni* Norvagorum Regis, qui primus ad eos Christi fidem attulit, fuisse depredicant. Hic est ille *Magnus*, cognomento *Barfoed* dictus, cuius suo loco meminimus diceturque de eodem in sequentibus. In Historia nostrâ Danica.

CAPUT II.

Britannis vitilia navigia non classem fuisse: nec ullas eos Vennetis, Galliæ populo, naves, sed socios subministraße ex Cæsare ostenditur.

HInc de Britannorum, antequam in Romanorum potestatem redacti fuêre, dominio marino tractaturus Seldenus, Lib. 2. cap 2. primo loco Caium Julium Cæsarem adducit, utpote Romanorum primum qui insulam intravit ac vicit, resque à se ibi gestas literis mandavit. Ejus sub adventum non navigantes duntaxat & piscantes mari suo usos ait, verum etiam neminem, præter mercatores, adnavigare insulam, aut portus & oram maritimam explorare, passos addit. Ubi notandum, cujusmodi tum indigenarum res fuerint, qui oram solum maritimam ac suum, ut dicit, mare coluêre. Et magis id pateat. cum addat Cæsar, pri-

mo suo in insulam appulsu inusitatas longarum navium species incolis timorem injecisse; & secundo, navium omnigenarum numero ità perterritos, ut à littore discederent. Quippe qui ad navale bellum omnino essent imparati: nec classem, sed naves tantum haberent vimine contextas ac coriis bubulis circumtectas. At Veneti, qui erant Galliæ sub Ligeris ostium populi, Vannes hodie appellant, ex adverso Britanniæ, quàm tunc peritia rerum nauticarum floruerint, & classes cujusmodi ac naves habuerint, quæ ex robore totæ constarent, docet idem Cæsar, adjiciens ducentas ac viginti eorum naves paratissimas ac omni armorum genere ornatissimas è portu profectas classi Romanæ adversas constitisse. Sed hoc dominatui Britannorum marino non obsistere Seldenus putat, cum petita è Britannia à Venetis auxilia à Cæsare memoretur. Memoratur quidem à Cæsare illud; nec è Britannia tantum, sed ab Osismiis quoque & Menapiis, Morinis, Nannetibus ac Lexobiis advocata ea addit, sed socios fuisse non navigia memorat. Veneti autem illi cum à Cæsare victi classem omniaque simul amisissent, existimat Seldenus etiam eam, quæ à Britannis auxilio ipsis esset missa classis, amissam: & ideò

ideò Cæſarem nonniſi vimineas Britannorum naves, cum inſulam intraret, reperiſſe. At eam ſuſpicionem locum non habere, inde colligere eſt, quod veriſimile non ſit, ità omnium navium claſſe, ſi quam habuiſſent, nudaſſe ſe Britannos, ut nullam penitus domi ad littoris ſui defenſionem ſibi reſervarint. Quin & locum non habere id præmiſſa quoque oſtendunt; & maximè, cum etiam alii ſcriptores Romani nonniſi de viminibus Britannorum navibus verba faciant. Et Panegyriſtes ille de ævo Cæſaris loquens, *illâ*, inquit, *ætate nec Britannia ullis erat ad navale bellum armata navigiis*. Et præterea quod ſuſpicatur Seldenus, illis, poſtquam in Romanorum poteſtatem veniſſent, ut in officio continerentur, armatas haud dubio naves interdictas, id eâdem, quâ memoratur facilitate ac fide, rejici poſſe quis non videt? ſtantumque verbis, quæ citavimus, Cæſaris, qui eos ad bellum navale omnino imparatos profeſſus, id haudquaquam dixiſſet, nullâ unquam claſſe inſtructos comperiſſet.

CAPUT III.

Oceani Septentrionalis dominium nuſpiam Britannis, antequam à Romanis eſſent ſubjugati, verum Norvagis potius & illis boreæ populis authores aſſerere.

lib. 2. cap. 3. Maris clauſi.

QUod igitur continuò ſubjicitur borei maris dominos fuiſſe Britannos antequam ſubjugarentur à Romanis, idque ideo, quia apud Tacitum, ubi in hanc ſeptentrionalem plagam Julii Agricolæ navigationem recitat, memoretur, *Britannos viſa claſſe Romanorum obſtupefactos, tanquam aperto maris ſui ſecreto, ultimum jam victis perfugium eſſet ereptum clauſumque*: Et *Thulen*, maris hujus inſulam, quia Albategnius, geographus Arabs, *in Britanniâ collocet*. Verum reſponſus perfacilis eſt. Nullum enim hinc colligi Britannorum in id mare dominium poteſt. Si enim obſtupefacti claſſe Romanorum: ſi ut receſſum & perfugium proximas has oras inſulaſque habuerint, in quas ſe abderent atque occultarent, ecquis elici hinc aut colligi dominatus poſſit; præſertim apud eos, quibus haud minus, imo multo

multo minus quàm Britannis Australioribus omnia ad bellum aut classem haberentur, ut loquitur Cæsar, imparata? Nec juvat quod Thule Albategnio Arabi in Britannia collocetur, non magis, quam quod Annæ Comnenæ Alexiæ filiæ, Thule insula pro Britannia fuerit intellecta. Quippe non Arabes modo, sed & Græci fere omnes, præsertim inferioris ævi, quam regionum septentrionis ignari fuerint, docet luculenter Procopius, qui Scandiam sive Scandinaviam intelligere volens, Thulen appellat, & decuplo majorem esse Britannia ait, ubi hæc habet, libet enim paucula adjicere: *Est Thule hæc insula longe maxima, quippe quæ decuplo major sit Britannia à qua longius abest, ut in borea sita. Hac ipsa in insula deserta pleraque sunt & ingentibus vacua spatiis loca. Quæ vero frequentiora ædificiis & hominum cultu, nationes tredecim numero incolunt, affluentissima quadam mortalium multitudine, regesque singulis nationibus præsunt.* Ut omittam addere, quæ idem Procopius toto cœlo à vero devians de Brittia quapiam memorat, sitam in Oceano ex adverso ostiorum Rheni, inter Thulen & Britanniam; quique ex *Armoricis* facit *Arborichos* ut alibi monstravimus. Præstat igitur inter authores vetustos sequi eos, qui

Alexiad. lib. 2.

Lib. 2. bel. Goth.

Lib. 4. bel. Goth.

In Descript. Reg. Dan.

qui rebus consentanea, & quæ hodie ita esse deprehendimus, literis prodiderunt. Cujusmodi inter Græcos præcipuè Strabo, & Latinorum Plinius, & ante utrumque Pytheas Massiliensis, qui SEPTENTRIONALEM hanc EVROPAM, ut idem appellat omnium primus classe lustravit; comperitque sex dierum spacio abesse à Britanniâ, boream versus, Thylen. Et illi accedens mox Plinius: qui non è Britanniâ, sed Bergas, (hodieque eo nomine celebres) & Nerigon, (nunc Norvagiam dicimus) diserte nominans, inde in Thulen navigatum olim ostendit; ubi inquit: *Sunt qui & alias prodant, Scandiam, Dumnam, Bergas; maximamque omnium Nerigon, ex qua in Thulen navigatur.* Quibus Plinianis, vel potius illa Pliniana si addantur istis, quæ ex Gyraldo Cambrensi modo laudata (quibus demonstratur, Orcades & illas, licet Hiberniæ & Britanniæ viciniores insulas, obsequio tamen ac reverentia Norvagis fuisse perpetuo subditas & ab illis assidue classibus commerciisque frequentatas) reddentur illustriora singula: & hoc, quodcunque maris hujus est dominium, sive appellare imperium libet, haud aliis, quam boreæ huic populo deberi intelligetur simul propius: Boreæ inquam sive Scandi-

Strabo lib. 1. & 2.

Lib. 4. cap. 16. 4.

naviæ

naviæ populo, quem, *præter viros armaque classibus valuisse*, Tacitus testatus fuit. In libro de Ger.

CAPUT IV.

Oceani Britannici dominium, quod sub Claudio & Domitiano Augustis fuit, a Romanis cæptum ac constitutum, antea Britannis nullum fuisse ostenditur. Vennetorum, Galliæ populi, in mari olim potentia.

MOx clarissimus Seldenus integro, quod sequitur, quarto capite Libri jam dicti, qui est secundus, demonstrare conatur, debellatis postmodum à *Claudio* Cæsare australioribus Britannis, & in deditionem accepta Vectæ insula, accessisse imperio Romano cum illis, velut victoriæ appendicē, Britannici Oceani dominium. Quod eatenus nemo neget, ut scilicet à Romanis id dominium cœptum ac constitutum, non vero usurpatum antea à Britannis sit, utpote, quibus, ut est ostensum, vitilia tantum navigia, non classes, aut naves ejusmodi ullæ fuerint, quę bello navali essent idoneæ, aut quibus propulsari vis ulla major posset. Et licet, quod Cæsar

Libro 4. bel. Gal. ipſe teſtatur, ideo etiam in Britanniã contendere animum induxerit, quod Gallis inde hoſtibus ſuis, ſubminiſtrari auxilia intelligeret, non tamen naves unquam aut claſſem inde ſubſidio Gallis miſſam uſpiam legitur. Imo ne tum quidem, cum Veneti ſive Vannes Galliæ maritimi populi, ſe Cæſari bello navali opponerent. Nam eo tempore, ut eſt jam modo memoratum, cum eos Cæſar non mari modo, ſed terra quoque aggrederetur, *auxilia è Britannia*, ut ipſa habent Cæſaris verba, non naves aut claſſis à Venetis accerſita. Quippe abundabant ipſi navibus & cæteros Galliæ populos rerum nauticarum uſu longe antecedebant. Libro 4. bel. Gal. Sed verba Cæſaris omnino huc adducenda ſunt, quæ ita habent: *Hujus civitatis* (Venetorum) *longe eſt ampliſſima autoritas omnis oræ maritimæ regionum earum, quod & naves habent Veneti plurimas, quibus in Britanniam navigare conſueverunt; & ſcientia atque uſu nauticarum rerum ceteros antecedunt; & in magno impetu maris, atque aperto paucis portubus interjectis, quos tenent ipſi, omnes fere, qui eodem mari uti conſueverunt, habeant vectigales.* Inde naves eorum earumq; formam hunc in modum ob Lib. 3. bell. Gal. oculos nobis proponit idem Cæſar: *Ipſorum naves ad hunc modum factæ armatæque erant.*

erant. Carinæ aliquanto planiores, quam nostrarum navium, quo facilius vada ac decessum æstus excipere possent. Proræ admodum erectæ, atque item puppes, ad magnitudinem fluctuum tempestatumque accommodatæ. naves totæ factæ ex robore, ad quamvis vim ac contumeliam perferendam. Transtra ex pedalibus in latitudinem trabibus, confixa clavis ferreis, digiti pollicis crassitudine. anchora, pro funibus, ferreis catenis revinctæ. pelles pro velis, alutæque tenuiter confectæ, sive propter lini inopiam, atque ejus usus inscitiam, sive, quod est magis verisimile, quod tantas tempestates Oceani, tantosque impetus ventorum sustineri, ac tanta onera navium regi velis non satis commode arbitrabantur. Cum his navibus nostræ classi ejusmodi congressus erat; ut unâ celeritate, & pulsu remorum præstarent; reliquæ, pro loci natura, pro vi tempestatum, illis essent aptiora & accommodatiora. neque enim his nostræ rostro nocere poterant: tanta in his erat firmitudo: neque propter altitudinem, facile telum adjiciebatur, & eadem de causa minus incommode scopulis continebantur. accedebat, ut, quum sævire ventus cœpisset & se vento dedissent, & tempestatem ferrent facilius, in vadis consisterent tutius, & ab æstu derelictæ nihil saxà & cautes timerent. quarum rerum omnium nostris navibus casus erant extimescendi

timescendi. Cujusmodi naves si fuissent Britannis cum eos exinde Cæsar impeteret, quantum ei facessissent negotii! nunc nihil eos vel tentasse in adversum classe aut navibus, sed pedite solum & equitatu arcere à littore adventantem Romanum conatos reperias. Rationem & causam ejus adfert panegyricus Maximiano Cæsari dictus, qui & modò laudatus, *quod Britannia scilicet nullis eâ ætate ad navale bellum armata erat navigiis.* Quæ sane ut & prius jam allata, ejusmodi esse, quæ omne in universum Britannis MARINUM eo ævo DOMINIUM denegent abrogentque, ecquis magnopere inficias iverit? Pergit inde clarissimus idem vir additque, undarum imperium insulæ dominium semper secutum, & ideo Senecam de eodem Claudio Cæsare & hoc mari cecinisse:

In Octavia Act. I.

Paruit liber diu
Oceanus, & recepit invitus rates.

Mare Britanniæ liberum ante Romanorum adventum.

Quæ de OCEANO dicta; quem hactenus, id est, ante Romanorum & *Claudij* præsertim Cæsaris adventum, fuisse LIBERUM & sui juris ait. Nam addit statim:

En qui Britannis primus imposuit jugum.
Ignota tantis classibus texit freta.

Sui

Sui igitur juris & LIBER si fuerit OCEANUS, antequam à Romanis subjugarentur Britanni, quomodo itaque ejus dominati, aut ejus, ut domini, tenuisse imperium dicentur Britanni? Hoc quam parum faveat Seldeno, imo causam hanc destruere quis non videt?

Hæ res erant insulanorum eâ tempestate à parte australi; â boreali cujusmodi fuerint, jam videamus. Ait Seldenus septentrionalius Britanniæ mare Claudii classe navigatum non fuisse, ac primnm sub *Domitiano* Romanorum navali expeditione id cognitum domitumque. Et eam in rem hæc Taciti verba adducuntur ex vita Agricolæ: *Hanc oram novissimi* (Caledonii) *maris tunc primum* (sub Domitiano) *Romana classis circumvecta, insulam esse Britanniam affirmavit, ac simul incognitas ad id tempus insulas, quas Orcadas vocant, invenit domuitque. dispecta est & Thule, quam hactenus nix & hiems abdebat,* Quæ Taciti verba alibi etiam nobis discussa nisi emolliamus dicamusque, classe tum primò Romanorum circnmvectam Britanniam, & esse insulam certò ab illis pronunciatum, quomodo locum habeant? cum jam ante *Cæsar, Strabo, Mela, Pliniusque* quem non semel ipse citat Tacitus, esse insulam diserte

In Descriptione Chorographica regni Daniæ.

fertè indicaverint? & ipſe id Tacitus verbis, quæ ſuperiora pauulū præcedunt, *inſularum* ſcilicet, *quas Romana notitia complectitur, maximam* agnoſcens, haud tacuerit. Et inde quod inventas tum primo Orcadas addat, quomodo etiam locum habeat, cum eas ante Domitiani hanc expeditionem Plinius non nominet modo, ſed quot ſint, nobis annumeret? domitas tum igitur à Romanis concedi fortaſſe Tacito poſſit; at inventas ac orbi primū proditas vix poteſt. Ac denique iiſdem Taciti verbis innuitur, eâ quoque navigatione diſpectam inque apertum productam Thules inſulam, quæ hieme & nivibus eouſque ſuis occultata mortalium conſpectum fugerat. Quod nec ipſum omninò vero conſonum, cum *Pytheas Maſſilienſis*, de quo ante memini, Græcique ejus jam ante hiſtoriam prodiderint: Et inter Latinos, præter ceteros, Plinius *navigari in Thulen è Norvagia ſolitum*, quomodo oſtenſum, jam ante tradiderit. ut ità hæc Taciti haud ulterius quam ad eam Romanorū navigationem reſtringenda ſint, tum ſcilicet ſingularum harum ditionum inſularumque majorem obtigiſſe Romanis notitiam ac certitudinem. Sed hæc taliaque Romanorum facinora quid ad Britannos, aut eorum adſtruendum maris

Lib. 4. cap. 26.

ris

ris dominium? num quia, quod postea Tacitus dicit, visâ Romanorum classe navibusq; obstupefacti dolerent, ereptū quasi jam sibi ac clausum esse, in quod recederent seque occultarent? At id dominium nullum, sed metum ac impotentiam eorum significat; utpote qui à classe & iis omnibus essent imparati, quibus belligerari ac repelli, præsertim mari, vis posset, ut est jam iterum iterumque memoratum superius.

CAPUT V.

Constantii Chlori & Diocletiani tempora indicata. Francorum tum in mari dominatus. His oppositus à Romanis Carausius. Idem se Francis jungens ope eorum insulam Britanniæ sibi vindicat. Quid classis Britannica explicatur.

QUę deinde memorantur clarissimo eidem Seldeno capite insequenti, quod in ordine ejusdem Libri secundi quintum est, de Romanorum dominio in mari Britannico, ut insulæ appendice, à *Domitiano* ad *Constantium Chlorum* Cæsarem & *Diocletianum* usque, ea ejusmodi sunt, quibus haud

haudquaquam Britannorum, sed ea, quæ ipsos superavit, Romana potentia ad cœlum evehitur ac celebratur. Et quidē post classis Britannicæ præfectum, qui memoratur *Sejus Saturninus* claruisse sub *Adriano* & *Antonino*, altum est de maritimis rebus Britanniæ & pene etiam de ipsa Britannia silentium ad Diocletiani fere tempora. Causa, præter cetera est, quod Ammiani Marcellini, qui post Tacitum Tacitumque excipiens ea tempora enarravit, tredecim priores libri desiderentur. Inde à *Diocletiano* missus est classis Britannicæ præfectus *C. Carausius* ad coercendos præsertim Francos. Etenim eorum aliquot, post acceptas à Probo circa Propontidem sedes, memoranda eluxit audacia. Correptis siquidem ii navibus aliquot prædatoriis Græciæ Asiæque oras depopulati; Syracusas, navalibus victoriis inclytas, magnâ editâ clade, suæ potestatis fecere, Inde plerisque Lybiæ littoribus ac portubus non impune adpulsi, ac tandem rejecti à copiis, quæ Carthagine veniebant, Gaditani freti angustias perruperunt, ac sine ullo suorum detrimento in Franciam, quæ tum ad Rhenum in Germania erat, ut alibi ostendemus, navibus iisdem reversi fuêre. Hinc à militibus interfectus *Probus* animos haud

In originibus Francicis cap. 3. b. 4.

haud leviter Francis in universam auxit, & Saxones, licet à Rheno remotiores, Albis tamen & Oceani accolæ, nonnihil hinc quoque polliceri sibi videbantur, ut proxima quæque maritimis excursionibus præreptaRomanis, in possessionem, aut saltem prædam suam, converterent. Ad hos, ergo utrinque coercendos, missus à *Diocletiano* Carausius, humili quidem loco natus, sed strenuus bello, & jam parandæ classi ac propulsandis clancularüs deprædationibus præfectus, infelicius dicam, aut segnius, se adversus utrosque à parte Romanorum gessit, cum rapinis potius & lucro, quàm præliis intentus prædam atque omnia hoc pacto parta ipsamque Britanniam, sumpto imperio, sibi retineret. Eâque retentâ rebellare adversus Romanos cœpit. Quem octavum deinde post annum *Allectus* & diademate & vitâ per dolum exuit, simulque Britannici regni jus totumque *Carausii* exercitum, qui potissima sui parte ex Francis constabat, in sese transtulit insulamque pene triennium tenuit. Sed *Allectum* vicissim, cum ad recuperandam Britanniam mitteretur *Constantius*, *Asclepiodatus*, Prætorianis præfectus, justo prælio juxta Londinum occidit, & Francos in urbe reliquos fudit & fugavit. Quæ ex

Zozimo & Panegyricis huc transtuli ut intelligeretur Francorum transmarinâ societate atque armis nobilissimam illam insulam tot annos adversus Romanos fuisse defensam: ac simul constaret, classi Britannicæ præfuisse eosdem Carausium dico Allectumque nec dictam aliter *Britannicam*; quam ea, cujus meminit Tacitus, quæ Britannorum quoque non erat, sed Romanorum; ubi ait: *Circumsteterat Civilem & alius metus, ne quintadecima legio adjunctâ Britannicâ classe afflictaret Batavos, qua Oceano ambiuntur*. Britannicâ classe, quam nimirum in Britanniâ habebant sibiq; in auxilium evocvaerant Romani.

Lib. 4. hist.

CAPUT VI.

Comites Hispaniarum. Comites Saxonici littoris. id littus quod fuerit: quid idem Tacito, Gallicum mare; & Ammiano Marcellino, tractus maritimus. aliaque.

INvalescentibus deinde Francis ac Saxonibus, post tempora Constantini Magni, non terrâ modò sed mari quoque Romanorum circumquaque imperium, quâ dabatur, impetere illi atq; infestare haud desinebant.

sinebant. Hinc Nazarius: *Franci ipsi, præter ceteros, truces, quorum vis cum ad bella efferveſceret, ultra ipſum oceanum, æſtu fervoris evecta; Hiſpaniarum etiam oras infeſtas habebat.* Et Ammianus Marcellinus, *Gallicanos tractus Franci & Saxones iiſdem confines, quo quiſque erumpere potuit terrâ vel mari prædis acerbis incendiiſq; & captivorum funeribus hominum violabant.* His ut occurreretur, Romani, præter fluminum Rheni Danubiique claſſes, & illas item, quæ excubabant ad defenſionem maris Adriatici Thyrrenique, erat vel maxime ob eoſdem neceſſaria claſſis Hiſpaniæ Galliiſque, quà boream ſpectant. His qui preſidebant claſſibus reique maritimæ curabant, *Comites* eo ævo ac *duces* dicebantur, ut *Comites Tingintanæ, comites Hiſpaniarum*, de quibus Imperii Notitia. Ex qua quoque Notitia intelligitur præſidium fuiſſe militum Caronenſium ſub diſpoſitione Viri ſpectabilis Ducis tractus Aremoricani. Sic à Rheni oſtiis & paludibus ad Garumnæ uſque oſtia, vel ad Santonos uſque, veteres vocarunt eum omnem tractum *littus Saxonicum*, quod omnem illam oram Saxones myoparonibus hoc tempore infeſtam haberent. In duabus Belgicis erat unus *dux Saxonici littoris* ad Sequanæ oſtia; ab illis ad

in panegyrico.

lib. 17.

Garumnam erat *dux tractus Ebruicani & Aremorici*. Per Ebruicanos intelligendi Aulerci. In Notitiâ Imperii pro *Ebruicani* perperam est *Nervicani*, quod monuit Scaliger. Totum hunc tractum, quà est Oceanus, Tacitus, in Vitâ Agricolæ, GALLICUM MARE appellavit, à Gallis assertum, defensumq;. Jam quod nostrum præcipuè institutum spectat, quæritur, hîc quis & quo loci fuerit, qui in eadem Notitiâ *Comes littoris Saxonici* dicitur *per Britanniam?* Seldenus existimat littus hoc fuisse Britanniæ aduersum; Curam interim ac Comitatum littoris fuisse penes magistratum in Britanniarum administratione constitutum; ac Comites eos ducesque sedes habuisse proprias in Britanniâ. Quin & verba Ammiani Marcellini adferens de Nectaridio in Britãniis *Comite maritimi tractus*, ait *præfectum* seu *Comitem tractus maritimi*, & *Comitem littoris Saxonici* unum eundemque habitum habendumque. Ac inde Capite septimo, postquam locum iterum Ammiani laudasset, ubi Franci & Saxones Gallicanos tractus terrâ marique infestasse memorantur, subjungit: *Adde & Saxones Bajocassinos in littore Aremoricano apud Gregorium Turonensem, lib. 5. cap. 26. ceu incolas vetustos commemorari. Adeò ut* res

In Lectionibus Ausonianis.

Cap. 6. lib. 2.

Lib. 27.

res obscura non sit, quamobrem Saxonici nomen littori adverso inditum. Et deinde continuò: *At verò nullibi legitur Saxones tunc temporis, littora Britannica, sive insedisse sive ad pellere solitos, aut Britannicum quid, præter mare, infestasse.* Hoc Seldene clarissime, quòd legi nullibi existimas, rationem hîc fugere te puto. Nam sane Ammianus, quem ad testimonium jam iterum iterumque advocasti, nonne diserte, ubi de Nectaridio loquitur, hoc affirmat lib. 27 historiæ suæ, ubi *nuncium* ait, *indicasse, Britannias barbaricâ conspiratione ad ultimam vexatas inopiam. Nectaridiumque comitem maritimi tractus occisum & Buchobaudem ducem hostilibus insidiis circumventum?* Quænam etenim hæc berbarica conspiratio, nisi Saxonum, quod ex verbis ejusdem Ammiani, quæ sequuntur, satis intelligi potest? Ubi Attocoti & Scotti nominantur, quibuscum agere ac conspirare hoc tempore soliti Saxones. Iterum, sed libro antecedente Ammianus: *Gallias Rhetiasque simul Alemani populabantur: Sarmatæ Pannonias & Quadi: Picti, Saxones & Scotti & Attacotti Britannos ærumnis vexavêre continuis.* Ecce *continuis* addit, ut idem, quod de *Nectaridio* ac *Buchobaude* jam memoravi, sed Ammiano libro insequenti recitatur,

Lib. 26.

Lib. 27.

 tatur,

tatur, de gente hac eadem, Scotis & Attacottis sociâ, capiendum. Et iterum Ammianus: *Dux incliti nominis Theodosius, ab Augusta, quam veteres appellavere Londinium, profectus, cum milite industria comparato solerti, versis turbatisque Britannorum fortunis, opem maximam tulit, oportuna ubique ad insidiandum præveniens loca. Barbaris* inquit, id est, Saxonibus; quos ibidem paulo ante dixerat, *præ ceteris hostibus timeri ut repentinos.* Et denique de Valentiniano agens inquit, *Inter hæc tamen caute jam conversos ad metuendam rabiem Saxones semper quolibet inexplorato ruentes, delatosque tunc ad maritimos tractus, quorum spoliis bene redierant onusti, malefido quidem sed utili commento peremit, prædâ raptoribus vi fractis excussâ. Itidemque Britannos, catervas superfusorum hostium conferentes, spe meliorum adsumptâ in libertatem & qui etiam restituit placidam, nullo pene redire permisso grassatorum ad sua.* Invaserunt igitur atque infestarunt etiam eo tempore insulam ejusque littus Saxones. adeo ut ambigi non abs re hinc possit, an *Comes maritimi tractus*, ut nominare jam diximus Ammianum, ulterius & extra insulam sit accipiendus *maritimus tractus*. Sed id taliaque cum rei, de quâ agitur, caput non spectent, in medium relinquere,

Lib. 28.

Lib. 30.

quere, quam de iis magnopere contentionis funem ducere, multo mavelim.

CAPUT VII.

Nectaridius maritimi tractus, non Saxonici littoris, Comes dictus. Claudiani versus aliter, quam censuit Seldenus, accepti expositique. Britannia alius ab Orbe nostro Orbis.

E Claudiano deinde & numismatis, quæ adferuntur ab eodem clarissimo viro ad demonstrandum, quod olim fuerit insulæ & oceani individuum imperium, omnino fuisse maximum ac conjunctum nemo non concesserit, si de Romanis eorumque potentia accipiatur. quorum sub armis & patrocinio defensa est, tutaque adversus Saxones præstita, tam insula quàm insulani. Quod verò Nectaridium *littoris Saxonici* Comitem faciat, authorem, quod sciam, non habet, præter Ammianum Marcellinum. At ille non *Saxonici* sed *maritimi tractus* Comitem cum dicit, nec de Saxonico sed insulæ potius Britanniæ littore capiendum id jam ante monuimus. Et mox Claudiani celeberrimi poetæ versibus, ad Flavi-

Cap. 8. lib. 2.

De laudibus Stiliconis lib. 2.

Flavium Stiliconem Honorii minoris tutorem, quibus Britannia quasi loquens se ope & operâ Stiliconis munitam ait

ne littore toto
Prospicerem dubiis venturũ Saxona ventis.

In Eutropium.

Et aliis ejusdem Claudiani, ubi Pietas Dea ità Honorium affatur:

Quantum te principe possim,
Nõ lõginqua docẽt, domito quod Saxone Tethys
Mitior, aut fracto secura Britannia Picto.

His, inquam, quod intelligendum v. c l. Seldenus velit, quasi mare tantum illi pacatum reddiderint, ac idem Britanniæ tutati sint ac servaverint, ac denique ab usu ejus Saxones abegerint, quasi inquam in terram Saxones exscensionem nunquam fecissent, aut facere essent soliti, id locum haudquaquam habeat, ob ea, quæ proximo jam Capite à nobis sunt indicata. Ibi enim ex Ammiano, Saxones cum Pictis, Scotis & Atacottis, qui intra insulam erant, conspirare solitos, ac invasisse miserumque in modum afflixisse sæpenumero insulanos, ac illis præcipue fuisse terrori ob repentinos eorum insultus, ex verbis ejusdem authoris

thoris, quæ sunt disertissima, manifestum fecimus. Et statim, quod additur, maris tutamen cum insulæ planè fuisse conjunctum, ex ejusdem Claudiani illo ad *Maulium Theodorum* ostendi, ubi canit poeta,

Hispana tibi, Germanaque Tethys
Paruit & nostro diducta Britannia mundo,

Id ex iis, si propius inspiciantur, haudquaquam ostendi aut liquere existimo; sed Manlium potius diversis proviniis fuisse præfectum, indicari. Trahunt huc præcedentia illa:

Sic cum clara diu rerū documenta dedisses,
Non te parte sui, sed in omni corpore sumsit
Imperium, cunctaque dedit tellure regendos
Rectores.

Hinc continuò subjicitur:

Hispana tibi, Germanaque Tethys
Paruit, & nostro diducta Britannia mundo.
Diversoq; tuas coluerunt gurgite voces,
Lētus Arar, Rhodanusq; celer & dives Iberus.

Et deinde,

Unius sit cura viri quodcunque rubescit
Occasu, quodcunq; dies divexior ambit.

Ecce diserte non unâ orbis plagâ ejus circumscriptum imperinm, sed ortum & occasum, Iberos, Gallos, Britanniamque eum agnovisse, & in eos summum ac supremum fuisse ejus imperium innuit: eique rectores potuisse. Hoc enim est, quod dicitur,

cunctâque dedit tellure regendos
Rectores.

Tellure autem ait, ne de solo forte marino dominio accipiamus. Et indicant hoc quoque *Arar* & *Rhodanus*, quæ Galliæ interioris sunt flumina. *Germana* verò *Tethys* de littore Aremorici tractus Saxonico, sicuti *Hispana* de Galliciæ & illo, versus Lusitaniã, maritimo districtu potest accipi. nec debere ad Rhenum aut aliam Germaniam illa *Tethys Germana* trahi, satis ibidem injicit poeta, cum addit canitque:

ô quoties doluit Rhenus quà barbarus ibat,
Quod te non geminis frueretur judice ripis.

Si tamen verba illa, *Hispana Tethys*, de Oceano Hispanico, quà is proximè Hispaniam alluit; & illa, *Germana Tethys*, intelligere

gere quiſpiam mare Germanicum velit, quà id Germaniæ eſt proximum, haud magnopere adverſabor: modò Germani hi eſſe Saxones intelligantur, qui eo tempore maris, ut eſt dictum, dominabantur, & ultra Albim in ipsâ Cherſoneſo Cymbricâ, ubi eos etiam Ptolomæus collocat, ſedes habuerunt. Unde & idem Claudianus hoc totum *mare*, quod nunc *Germanicum* dicimus, & in quod Rheni ſe oſtia ex adverſo Britanniæ effundunt, *Cimbricum* appellavit, ubi inquit,

Lib. de bel. Getico.

Te Cimbrica Tethys
Diviſum biſido conſumit Rhene meatu.

In numiſmatis denique *Antonini Imp.* quæ pingitur figura muliebris nunc rupibus nunc globo in oceano inſidens, an eam, quæ à Seldeno adfertur, etiam alii interpretationem agnoſcant, ignoro, nec otium eſt inquirere, aliò properanti. Interim de orbe alio, boream verſus, eum orbem accipiendum quis magnopere refragetur? cum præſertim Britanniam toto orbe diviſam, & noſtro, ut habet Claudianus, diductam mundo & orbem velut alium authores fere omnes intelligant? nummi quos dixi, iſti ſunt:

CAPUT













CAPUT VIII.

Britannos non liberaſſe ſe Romanorum imperio, ſed à Romanis paulatim deſertos, opem Saxonum, Anglorum ac Danorum imploraſſe: Eiſq; una cum inſulâ, quodcunque eſſet, ceſſiſſe dominium. Gaufredus Monumethenſis author fabuloſus.

Poſt hæc de *maris Britannici dominio* ſermonem inſtituit vir idem clariſſ. ex quo Roma- Lib. 2. cap. 9.

Romanorum imperium exuissent incolæ. Ita enim loquitur, idque his, quæ laudat, Zozimi verbis, *Romanum imperium exuerunt, constitutâ pro arbitratu suo republicâ.* Lib. 6. Histor. Quę verba Zozimi decurtata, si, uti habentur apud authorem, integra apponamus, videre erit aliam rei hujus ac mutationis faciē. Ità enim Zozimus dicto loco: *Transrhenani barbari cuncta pro libitu invadentes eo tum incolas insulæ Britanniæ, tum quasdam Celticas nationes redegerunt, ut ab imperio Romano deficerent, & Romanorum legibus non amplius obedientes, arbitratu suo viverent. Itaque Britanni sumptis armis, & pro salute sua periclitati, civitates suas à barbaris imminentibus liberarunt, ejectis Romanis præsidiis, & propria quâdam republica ex arbitratu suo constitutâ.* Quibus ex Zozimi verbis intelligitur, Britanniæ incolas non sponte sua, sed à barbaris transrhenanis eò adactos ut ab imperio Romano deficerent ejusque obsequium exuerent. Et quinam hi transrhenani? nisi veteres eorum hostes Cimbri Saxonesque; & quorum jam diu insultus ipsi exceperant averteranrque Romani. At modò fatiscentibus eorum viribus, ac inclinante sub Theodosio juniore & Honorio & Valentiniano III. Augustis universâ re Romana, nec illis sustinendis pares

pares ipsi diutius fuere. Et licet promovisse, illis auxiliaribus, aliquanto jam visi fuissent incolæ, adeò ut etiam à barbaris internè imminentibus liberare civitates suas & ejicere Romana præsidia cœptarent, non tamen diuturnum id fuit, ut indicat querela & verba venerabilis Bedæ, quæ posita libro ejus 1. Ecclesiasticæ historiæ gentis Anglorum.

Lib. 3. histor. nostræ Danicæ.

Cum igitur, quod & alibi meminimus, in extremâ jam, quod dicitur, tegula res Romana versaretur & hinc Italia, inde Hispaniæ Galliæque quasi discerptæ à peregrinis gentibus tenerentur, illisq; omnibus superveniens Attila majorem adhuc tempestatem minaretur, Romanorum legiones, quæcunque haberi poterant, ad subsidium revocatæ, & Ætio, supremo militiæ duci, commissæ. Britanniam tum veluti alium Orbem & extra continentis terminos collocatam, tres diversæ nationes habitabant: *Britones*, qui indigenæ erant, Romanis parentes, itemque *Picti* & *Scoti*; qui ut advenæ, ex Hiberniâ nimirum ut multi exstimant profecti, borealiorem insulæ partem colebant. Hi Britonibus perperpetuo infesti & licet Romanorum sæpenumero præsidiis repressi haud tamen quiescere potuerunt, præsertim cum difficillimis

ficillimis ac multiplicibus bellis Romanos distineri, eorumque legiones partim ex insula avocari, partim lente parceque in eandem reduci animadverent. Scoti igitur sine morâ cum Pictis arctiori percusso fœdere collectisque undiquaque copiis (quas inter Norvagienses & Danos fuisse Matth. Westmonasteriensis ad an. CCCCXXIV. videtur innuere) Britannos invadunt vestantque. Britones ut sese recolligerent, auxilio jam omni destituti ad Ætium confugiunt. Ille fatigatus motusque eorum precibus, utpote adhuc in fide Romanorum consistentium, unam ipsis è Gallia legionem suppetias misit. Quâ illi confisi repulsisque ac profligatis semel iterumque hostibus, rem fortiter agere, & inito cum Ætianis ducibus consilio, vallum inter Romanorum provinciam & fines Pictorum constituêre, futurum in omnem eventum adversus incursionem haud invalidum munimentum. Dumque hoc pacto unius legionis præsidio conquiescit Britannia, infestis signis Galliam petunt gentes, adeo ut nos ex insulâ subito ac necessario revocat Ætius. Scoti, re intellecta, confestim Britannos repetunt magnoque impetu unà cum Pictis murum superant. Et actum fuisset de Britonibus, nisi Valentinianus Imperator,

perator,qui aliquam multas copias Pariſiis
adhuc retinebat, inſulanis auxilium rogan-
tibus ſubſidio adfuiſſet. Tum Vallus ille
ſive murus denuo ſed ex lapide communi-
tur & additis inſuper ad excubias haben-
das caſtellis aut ſpeculis multò quàm prius
validior redditur. Verum Scoti mox Pi-
ctique fractis jam aut langueſcentibus im-
perii viribus, ubi multò quàm ante feroci-
us in Britannos incumbunt, iterum ad Æ-
tium, Galliarum ac militiæ præſidem, le-
gati à Britonibus miſſi, qui auxilia flagita-
rent. Sed Ætio jam ad reprimendum Atti-
lam ſummo animo ac viribus intento, haud
quidquam impetrare potuerunt. Quę dum
fiunt, occupant Scoti extremam inſulæ
partem, quæ à Grampio colle ad boream
ſpectat, quam & hodieque tenent ac ſuo
nomine Scotiam nuncupant. Inde Britan-
niæ proceres cum viderent tantam tem-
peſtatem à Scotis æque ut à Pictis aſſidue
impendere, de duce aliquo ac Rege nun-
cupando conſultare incipiunt. Itaque, ha-
bito conſilio, Vortigenus eligitur quod eſ-
ſet inter ſuos non tantum authoritate, ſed
etiam virtute ac generis nobilitate præci-
puus. Vortigernus igitur ad regni clavum
vocatus nihil antiquius habuit, quàm de
republicâ cogitationē ac curam ſuſcipere,
qu

Scotiæ nomen inditum.

quo nimirum patriæ fatum, quod jam præ foribus erat, omni ope consilioque averruncaret. Cumque diu multumque, quid maximè ê re foret, quæsitum agitatumque esset, procerum præcipui rebus suis ac viribus diffisi externa auxilia circumspicienda judicarunt: Quapropter ex consensu populi vicinos è regione ad ortum borealem *Anglos* ad collum Cimbricæ Chersonesi locatos, *Vitas* Bedæ, nunc *Gutas*, ut habet Ptolomeus, sive Jutas vocatos, unà cum *Saxonibus*, qui tum præcipuè omnes rei militaris famâ longe lateque, sive terrâ sive mari gerenda res esset, illustres ac celebres habebantur; accersendos decernitur. Atque ita missi quamprimum sunt, qui eos ad opem laborantibus amplissimis promissis, ac demum auxilium non abuuentes n Britanniam protinus ducerent. Quo nunio recepto, unà cum Vitis & Saxonibus ngli, læta bello gens, & quæ ultro stiendii faciendi erat avida, confestim deectâ fortissimorum juvenum manu naviusq; impositâ, ducibus Hengisto & Hor-), ii fratres erant, Martiis animis viri, Briinniam appellunt, annum circiter, salutis ımanæ CCCCXLIX. Egressos in terram onorifice ac comiter Rex accepit, assigna; insuper in Cantio ad habitandum sedi-

bus. Ac mox adjunctis sibi insulanorum auxiliis in Pictum & Scotos, agrum late vastantes, contendunt: prælioque commisso insigni victoriâ potiti sunt. Rex successu gaudens novam gentem, & cujus auspiciis vim hostilem profligarat, liberali cumprimis stipendio remuneratur. Quamquã sint, qui non evocatos patriâ, sed ut homines vagos & qui sponte sua prædandi animo ad littora insulæ ubi forte myoparonibus suis advenissent, Regi Vortigerno conciliatos autument. A qua opinione ut abhorream, faciunt Pauli Diaconi verba qui diserte Anglorum gentem à Rege Vortigerno invitatam commemorat. Hengistus igitur, ut erat non tantum manu fortis, sed & sensu celer & ultra barbarum promptus ingenio, cognito regis animo, qui jam totus in Anglorum virtute conquiescere videbatur; tum etiam perspectâ ad transmittendum bellum ac commercia, regni ac regionis oportunitate, id sibi agendum putavit, quibus ipse modis sibi suisque quod jam dudum, ut hostes, populares ejus tentaverant, possessionem ac sedem stabiliorem in regione tam commodâ tamque amœnâ paulatim firmaret. Itaque omnium primò locum, qui ad colendum erat concessus, haud perfunctoriè communire e-

jusque

isq; fines deducere, impositis etiã præsi-
iis, accuratius custodire curæ habuit. De-
ide, non cessantibus Pictorum incursio-
bus, de novo gentis suæ supplemento de-
ue majore militum manu convocanda
im Vortigerno cœpit agere. Et Vorti-
ernus quidem, futuræ sortis nescius, ne-
iaquam consilium aspernatur. Itaque fa-
â jam ultra oceanum late divulgatâ sive
Hengisto per nuncios exciti, sive ab i-
o, domum hoc nomine remisso, conscri-
i (utrumque enim traditur) multò quàm
ius majore multitudine ex iisdem nati-
ibus viri simul ac fœminæ, naves con-
endunt, magnâque classe completâ, in
itanniam comigrant.
Quæ ceteraque ibidem, ex fide classico-
n authorum memorata, ejusmodi sunt.
æ ostendant non tam liberasse se Roma-
rum imperio Britannos, quam identi-
n Romanos, ut manerent, auxiliaque
ducerent, à Britannis fuisse prensatos o-
osque, & tandem cum sufficere ulterius
us ipsimet, ut est monstratum, haud
sent, aliò & ad hostes antea infensissi-
s vertisse se; & ab illis qui inferre plagas
verant, malis suis remedium adeptos.
gli igitur Saxonesque Chersonesi Cim-
æ populus, ac Dani denique, terrâ ma-

rique bellatores acerrimi, summum hîc imperium nacti, esse penes unum, etiam ant Egberti Regis tempora, qui terrâ mariqu cuncta modoraretur, regni regimen volu erunt. qued plenius planiusque deducit hi storia.

At quę habet deinde sub finem ejusder capitis Seldenus, ista nimirum: *Et Britann certe rerum navalium adeoq; tutelæ maris s curam fuisse eo in ævo maximam inde lique quod in historiâ Britannicâ de Arthuro illo re ge decantatissimo & Malgone principe legitu eos sex comprovinciales Oceani insulas (ut Ga fredi Monumethensis verba sunt) Hiberniai videlicet atque Islandiam, Gotlandiam, Orc cades, Noruagiam, Daciam dirissimis præli suæ potestati, sive adjecisse sive recuperasse; tiam & Gronlandiam & omnes alias terr & insulas Orientalis Oceani usque ad Russ am & multas alias insulas ultra Scantiam u que dum sub Septentrione*; Ea esse non dic vera, sed verosimilia, ecquis audebit ass rere, præsertim si oculos flectat ad statu insulę ac insulanorum, quem modò mem ravimus isto tempore deploratissimum: quo ut starent ac superessent suis, alioru est ope & copiis factum? Et inde quis s ni satis cerebri authorem hunc dicat, q *Gronlandiam* in Balthico seu Orientali O
cean

Lib.2.cap.9.

no, *Gotlandiam* verò inter Hyperbo-
maris insulas, si diis placet, nobis col-
at? cum esse Gotlandiam Balthici
ris, Gronlandiam verò extremi bo-
insulam, nemo nesciat? Et ità scri-
se eum, aut saltem scribere debuisse,
ninum integræ mentis haud ullus infi-
eat. Sed à Monumethensi Galfredo
enim præclaræ historiæ hujus author
ninatur) expectare meliora frustraneum
Quem docti omnes merito suspectum
ent, & cujus fides, ut verbis hoc dicam
ci nostri v. cl. Gerhardi Vossii, à mul-
amnatur. Qui & hoc addit: *Sane mul-
uidem fabulosa in Gaufredo reperias: sed
anta hîc Gaufredi est culpa, quam arbi-
ur. Nec enim ipse ea confinxit, sed ab a-
nficta, ex adversariis, quæ à Gualthero,
diacono Oxoniensi acceperat, de Britan-
ermone Latine vertit.* Vixit & scripsit
Gaufredum, sed multo meliori judi-
c delectu, author, ut eum Polydorus
ilius celebrat, veridicus Guiljelmus
origensis, qui de Gaufredo hunc in
um disseruit in Præfatione Historiæ
erum Anglicarum: *At contra quidem
s temporibus, pro expiandis Britonum
lis, scriptor emersit, ridicula de eisdem
ita confingens; eosque longe supra virtu-*

Lib. 2. de Historiis Latinis cap 52.

tem Macedonum & Romanorum impudenti vanitate attollens: Gaufredus hic dictus est, agnomen habens Arturi; pro eo quod fabulas de Arturo, ex priscis Britonum figmentis sumtas & ex proprio auctas per superdictum Latini sermonis colorem honesto historiæ nomine palliavit. Qui etiam majori ausu, cujusdam Merlini divinationes fallacissimas, quibus utique de proprio plurimum adjecit, dum eas in Latinum transfunderet, tanquam authenticas & immobili veritati subnixas prophetias vulgavit.

CAPUT IX.

Dani Alfredo Anglo-Saxonum Regi auxiliares late dominium per Britanniam exercent, mari ac terrâ præpotentes.

Lib. 2. cap. 10. HInc Seldenus Anglo-Saxonum regni initia memorans eorum navales celebrat copias. Et meritò celebrat; cum iis potissimum, exortis jam inter Saxones & Britannos dissidiis, res illi suas adversus Britannos tutati factiq; superiores evaserint ut est à nobis memoratum ordine libro Historiæ nostræ Danicæ tertio. Alfredus ve-

Pag. 81. 83.

rò, cujus deinde idem meminit, is eſt qui ex ſtirpe regis Anglo-Saxonum Egberti natus, ejus certâ ſerie nepos fuit. Hic etenim ille Egbertus eſt, qui omnia illa diverſaque ab Anglis Saxonibuſque occupata ac variè diviſa Britanniæ regna reguloſque in unum coegit. Quique antiquato ipſius Britannię vocabulo, ut ejus generis ac gentis memoria perpetuo obtineret, ſimulque ut jure uno eodemque nomine univerſus cenſeretur populus, primus Britanniam, *Angliam* ipſamque gentem ad memoriam majorum, quos è Cimbricâ Cherſoneſo profectos jam ante memoravi, *Anglos* appellavit, idque ut immotum ſemperque manſurum edicto quoque ſancitum voluit. Egberto defuncto filius Edelvuolfus ſucceſſit qui obiit anno Christi DCCCLVII, relictis quatuor filiis, qui ordine regnarunt: Edelivaldus quinque menſes: Edelrechtus quinque annos: Edelredus ſex annos: ALFREDUS poſtremo, filiorum ejus quartus, novos poſt id è Daniâ boreâque, ſtabilito jam apud Britannos Saxonum Anglorumque regno, æmulos ſeu hoſtes Danos nactus, cum indies in eum claſſes illi ſubmitterent, diu varia ac difficilia cum is bella geſſit: ſicuti & poſteri ejus totaque regia progenies: donec tandem *Sueno*

Britannia dicta Anglia circa ann. 850.

atque inde filius ejus *Canutus Magnus* Daniæ Rex, accepto post *Edmundum* II toto Anglorum imperio, filios suos *Haraldum* & *Canutum* successores habuerit.

His eum in modum præmissis positisq; clariora jam erunt, quæ eodem hoc capite decimo deinceps memorantur à Seldeno de maris sub Alfredo Rege dominio ejusque classibus: Eas nimirum summâ necessitate ab eo coactas collectasque, ut nimirum Danis opponerentur, qui ipsi ereptum veniebant, quod à majoribus suis Anglis Saxonibusque constitutum acceperat imperium. Et ut erant eo ævo uterque populus, hic qui modo Britanniam victor tenebat, Angli Saxonesque; & ille, qui eam de novo jam impetebat, Dani appellati, maris ac classium potentes reique nautricæ oppidò gnari, ità certabant velut inter se, quis longiores aptioresque in mare naves educeret; alter ut ea ac sua, quæ parta habebat, defenderet; alter, ut eadem popularibus suis, quasi invidens eorum successibus, è manibus extorqueret. Quin ut se defenderet adversus hostes suos Danos, non nisi ope ipsorum Danorum, quos sibi pro tempore fiduciarios ac clientes Alfredus habuit, obtinere potuit. Et hoc est, quod innuit eodem hoc capite Seldenus,

cum

cum ait: *Tum Gurmnudus seu Guthvum, Rex Danorum, ut fiduciarius Alfredo cliens suas habuit in Nortumbriâ & Angliâ Orientali sedes ac territoria perampla.* Non quidem Rex Danorum eo tempore, dum in Anglia ageret, Gormundus erat, sed anno demum 921. ad regni clavum vocatus est, ac dictus ob diutinam in Angliâ habitationem, *Gormo Anglicus.* Ibi autem agens totum propemodo Hontingthoniæ tractum tenebat; qui & ejus à nomine *Gormoncester* appellatus est, attestante vetere versiculo, quem citat Cambdenus, *Gormouis à castri nomine nomen habet.* Quàm verò idem Alfredo, ob auxiliares, quas ipsi præstabat, copias, charus haberetur, indicat antiquus scriptor Picus his verbis: *Rex Danorum Guthrum* (quem Gormundum vocant) *cum triginta proceribus, & omni pene populo baptizatus, in filium ab Alfredo susceptus, imposito ei nomine Atelstano. Hic igitur mansit, dataque sunt illi provinciæ Orientalium Anglorum & Northunbrorum, ut eas sub fidelitate Regis foveret hæreditario, quas pervaserat latrocinio.* Quæ postrema sat indicant, ità ei datas, sive potius icto cum Alfredo fœdere permissas has ditiones, ut eas jam ante armis suas fecerit. Habuit idem hic Gormo fratrem *Ericum* nomine, qui ante &

unà cum ipſo longe lateque apud Anglos item Orientales imperitabat, modo laceſſens ipſos Anglos, modò auxilia ſua ac copias iiſdem jungens terrori omnibus ac formidabilis terrâ mariq; habebatur. Sed idem in hoſtem præcipitantius delatus ac minus feliciter pugnans occubuit ſeb annum DCCCCXIII.

CAPUT X.

Danorum validiores in Britanniâ ſub Anglo-ſaxonibus res, iique, his excuſſis, in ſe ſceptrum transferunt. Danegildum quid, ex Gul. Cambdeno monſtratum. aliaque obſervata.

IN ſequenti hinc Capite, quod eſt libri ſecundi undecimum commonſtrare porro Seldenus conatur elucere imperium marinum Anglo-ſaxonum & Danorum in Britanniâ regnantium ex tributis & clientum fiduciariorũ officiis ad rem nauticam pertinentibus. Sed hîc diſtincte ob oculos res & hiſtoria ponenda. Nam qui nominantur Anglo-ſaxones & Dani, nõ amici, ſed hoſtes utrimq; erant infenſiſſimi. Et quidẽ tributorum

torum primum Anglo-ſaxonibus, ſub rege *Ethelredo*, à Danis imperatum fuit anno Chriſti 992. Danorum ſanè validiores tum res fuiſſe, exactio, quæ Anglo-Saxonibus impoſita, indicio ſit; & demum tam multæ eorundem victoriæ, quibus poſtremò poteſtatis ipſorum inſula eſt facta. At hæ claſſes in Britanniam è Daniâ miſſæ. nec in adverſum quæ tantata, arcere eos à littore aut prohibere exſcenſionem in terram potuêre. Et tempore quidem Ethelredi Regis, cujus hoc capite Seldenus meminit, cum Dux Eſſexiæ Brithonothus, collectis copiis, obviam ire ac reprimere adventantium Danorum impetum connifus eſſet, ſuis cum omnibus prçliando occubuit. Rex Ethelredus ſuccedaneum ſe objicere vel nolens vel metuens paciſci cum eis decem-millibus auri pondo ſatis habuit: Idque eâ lege, ut, Angliæ regno relicto, in oras patrias verſoriam capeſſerent. Notant chronologi primum id tributum fuiſſe, quod Danis depenſum Angli ſolverint. Et regreſſi tum quidem in patriam Dani. Verum longe ab expectatione creduli regis res cecidit. Vix enim annus interjectus, cum auro atque eventu priori electi denuò inſulã adoriuntur, nec ut prius tumultuario milite, ſed claſſe juſtâ inſtructi negotiũ gerere

rere inſtituunt. Rex cum nihil tale futurum ſperaret; quippe quietis quàm belli amantior, tum pacto & fide datâ confiſus ad repugnandum vix quidquam reperiebat præſidii. Neceſſitate tamen, duro telo, adactus claſſem confeſtim virosque inſtruxit. His præter Alſtanum & Æſchevinum antiſtites, Alfricum præcipuè ducem præfecerat, virum animo & corpore ferocem, ſed fidei erga regem haud ſatis integræ. Is itaque adventantibus Danis obviam factus ſeque ad prælium quaſi parans, ſed aliud mente agitans, ad Danos deficit. Quæ res adeò inſulanos perculit, ut nullum pene operæ pretium effecerint. Dani verò idoneâ tempeſtate in terram delati ad prædas agendas ſe effudêre. Qui ex illis ingreſſi Northumbriam, dum ſibi quiſque ſtudet, ab agreſtibus aut cæſi plerique aut profligati ſunt. Alii, qui Londinum oppugnaturi petierant, reſiſtentibus animoſè civibus, ſponte ſuâ obſidionem ſolverunt. Nec ſegnius tamen Anglum urgebant ac divexabant, vaſtando agros, aperiendo limites, urendo domos obviosque fundendo, dum tandem Ethelredus viribus impar atque animo conſternatus de pace & quiete redimendâ legatos iterum miſerit. Qui miſſi venerunt, eâ conditione cum Danis pacti,

cti, ut in annos singulos Anglia, veluti in formam redacta prouinciæ, certam stipendii summam penderet. Ethelredus, qui existimabat hoc pacto compositis rebus, pacem se qualemcunque tunc nactum, non de bello & imminentibus curam aut cogitationes suscepit, sed otio potius aq; avaritiæ intentus suis indies gravior incubuit: adeo ut dum alios facultatibus exuit, alios oneribus premit nonnullos calumniis ac delatoribus objicit, sibi invidiam atq; execrationem pene omnium conciliavit. Horum nec ignari Dani hanc præsertim regis socordiam rem suam facientes, haud imprudenter speculati sunt, neminem celerius opprimi, quam qui nihil timeret, & frequentissimum initium esse calamitatis securitatem. Sueno igitur, qui Norvagiæ magnam partem Daniæ adjunxerat, & Seciæ rege, propinquo suo, ad arbitrium suum utebatur, tum memor repulsæ ab *Edgaro*, Ethelredi parente, sibi olim exuli illatæ, de invadendâ Angliâ belloque in Ethelredum faciendo primò cum paucis, mox adhibitis pluribus consilia agitat, opprimi eum posse & dicit & persuadet. Ac mox dictis facta jungens, Westsaxiam ceterosque fere Anglorum totâ Britanniâ eò adigit, ut, quod erat pactum conventum, detule-

detulerint stipendium. Idque fuisse librarum circiter sedecim millium chronologi referunt. Et respirare nonnihil jam Anglia cœperat, erantque pacatiora omnia; cum ecce mox Danicus Comes *Torchillus*, quem aliquot instructum prætoriis navibus subsecutus continuo est *Hemmingus* & *Eginulphus*, postquam varie vexassent indigenas ac iterum iterumque cum iis, soluto pretio, pepigisset *Ethelredus* Rex; & ultimo occupatâ Essexiâ; atque inde Angliam Orientalem advecti, ac prope Gibilsvicum classe egressi, ducem Ulffketillum, qui ibi tuendo limiti consederat, invasissent fugassentque: & tota denique, qua patet, Orientalis Anglia ad imperata concederet, ut est prolixius in historiâ nostrâ memoratum, denuo cum illis est pactus Ethelredus, promissis traditisque quadraginta octo librarum millibus; Et additis præterea his conditionibus, ut pacem ac securitatem regno incolisque præstarent, ut arma ac defensionem pro iisdem; si invadi hostiliter insulam contingeret, promptè parateque susciperent. Quas & illi conditiones ità susceperunt, si vicissim commeatus & annona à rege regnoque sibi præberetur, Quæ cum negata quoque haud essent, decessit è Thamesi classis, re-

Pag. 142. lib. 5.

lictis

lictis in usum & obsequium regis navibus quadraginta quinque. Has inter clades auditũ continuo est *Danegildi* vocabulum. Inde iterum iterumque digressus cum classe armatâ regressusque in insulam Sueno, cum eo jam Anglo-Saxonum res deductas animadverteret, ut ad ignavum redacti stipendium, tributo quod *Danegildum* vulgo vocabant, redimere quotannis pacem cogerentur, & anno superiore immenso ære pacatis, qui cum navibus, duce Torchillo Comite Danico, Thamesin erant ingressi, satis ostenderint, non nisi ipsorum Danorum armis aut stare se, aut opprimi posse; tum atroci illa, quam instituerat paulo ante Ethelredus gentis suæ cæde ac lanienâ commotus, universâ belli mole in Angliam conversâ, infestam Sandvico classem intulit. Ac mox Londino potitum eum, ubi Ethelredus accepisset, statim ille extremum & unicum suum refugium, Danicam Torchilli classem, magno, ut ante diximus, ære pactam, ad manum ac nutum habens, eâ ad insulam Vectam profectus est; ac ibi paulisper subsistens rectà ad Galliæ Normannos suumque affinem Richardum dilatus est. Sueno interea sub pellibus se continens, id inter cetera curabat ut vicini omnisque Angliæ populus, qui jussa

Vide Histor. Dan. lib. 5. pag. 143.

jussa atque imperium ejus essent sequuti, ad persolvendum quod erat imperatnm, stipendium parati adessent. Torchillus quoque classi suæ, quæ in Thamesi ad Gronvicum constiterat, quod pactum fuerat, ut tempestivè simul redderetur, similiter stustio habuit. Hic Torchillus, etiamsi à partibus Ethelredi regis, ex pacto ac promisso, ut supra patuit, tum stare videretur, Suenoni tamen, utpote populari ac regi suo fidelior, ei præsertim (quod notat Malmesburiensis) & auctor & adhortator esse non desiit, ut, aliud tum agente Ethelredo, Angliæ occupandæ occasionem haud intermitteret.

Quibus ex omnibus satis liquere puto: quale Danegildum hoc fuerit, de quo disputat prolixe in eodẽ hoc Capite Seldenus; existimans ad mare tantummodo tutandũ pacandumque, ab Angliæ id regibus imperatum. At quibus imperatum? nonne indigenis, idque ad defensionem ipsorum? defensionem dico, quam unam solamq; exspectandã jam ab hostibus suis habebant. At ea esse qualis fueverit, agnorum, quòd dicitur, cum lupis conjunctio, ecquem latere magnopere possit? quamvis Seldenus fiduciariam quandam clientelam videtur nuncupare, nec valde pugnabo si itã

ei

ei placeat. Interim quæ de eodem habet popularis ejus, vir clarissimus ac præstantissimus suæque, dum viveret, illustrator Britanniæ Gul. Camdenus, libet hîc subtexere: *Tributum*, inquit, *Danegildum misello populo ad horum Danorum latrocinia reprimenda impositum, quod cujusmodi fuerit, hæc ex legibus nostris descripta indicant: Danegildi redditio propter piratas primitus statuta. Patriam enim infestantes, vastationi ejus pro posse suo insistebant. Ad eorum quidem insolentiam reprimendam statutum est* DANEGELDUM *annuatim reddi &c.* hucusque Cambdenus. Nec mirum eâ usos fortunâ illâ temporum tempestate Britannos, cum & Romanos, ingruentibus hinc inde, ac sese imperio opponentibus, Gothis, Vandalis ac Francis, eodem adactos legamus, & pacem etiam eos non semel ab iisdem mercatos, ut indicat vel illud Claudiani:

Illi terribiles quibus otia vendere semper
Mos erat, & fœda requiem mercede pacisci.

De quo in Originibus nostris Francicis & ibi egisse memini. Dein ultima illa ejusdem verba, hoc eodem capite XI: *Nam que cum vicinis quibuscunque tunc temporis* Lib. 4. cap. 10. Originum Franc.

certamen aliud iniisse Anglo-saxones Danosque nostros, præter id, quod aut de insulis Britanicis aut de Mari suo instituerctur, legimus, sicuti obscuritatem habent, & illa præsertim verba: *de insulis & mari suo* cum de ipsâ Britanniâ ejusque possessione certatum inter utrosq; constet; ità nec id sat capio, quod *Anglo-saxones Danosque, nostros*, id est suos faciat. Nam Ethelerdi Regis aspectu, quem cedere regno ac ditionibus suis erepto regni sceptro, Daniæ Rex Sueno ejusque exercitus coegit, quomodo eos appellare suos Anglo-saxo posset? nisi id Torchilli Comitis Danici aliquo intuitu fiat. dum is, ex pacto, suâ classe pro rege Ethelredo excubias qualescunque, ut est memoratum, agitat. Sed illæ ipsæ quàm fluxæ sublestæque excubiæ fuerint, præter quæ dixi, ostendit eventus & historiâ: cum scilicet hoc unum idem Torchillus egerit ut à Suenone, Danorum Rege, in filium ejus Canutum Magnum, Angliæ regnum regnique diadema translatum fuerit.

CAPUT

CAPUT XI.

Edgari Anglo-Saxonum Regis liberaliora de maris sui Dominio elogia. Canuto Magno Danorum Regi, qui Angliam post eum tenuit, verius ea tribuenda.

HIs continuò subjungit Seldenus testimonia sive elogia potius, quibus *Edgarus* Rex, & post eum, *Canutus Magnus* censi vulgò appellatique fuêre. Et his marinum præcipue asseri ipsis Dominium existimat. Edgarus hic, ecquis fuerit, ex antecedentibus liquere puto, Anglo Saxonum scilicet Rex, pater Ethelredi sed qui Ethelredo pacatius egerit. Hujus solennis (ità porrò Seldenus) erat titulus: *Ego Edgarus totius Albionis basileus, nec non maritimorum seu insulanorum Regum circum habitantium.* His deinde addit Seldenus, de se eundem memorare Regem: *Mihi concessit propitia divinitas cum Anglorum imperio omnia regna insularum Oceani cum suis ferocissimis regibus usque Norvegiam, maximamq; partem Hiberniæ cum suâ nobilissimâ civitate Dublinia, Anglorũ regno subjugare.* Libro 2. cap. 12.

 At

At ea quis non liberalius ab Edgaro Rege memorata concedat, qui sciat quidquid est insularum in boreæ oceano, quà Norvagiam spectat, perpetuo Norvagiæ Regum fuisse? Nec potuisse aut posse ea *Edgaro* tum asseri; cum ne Anglorum quidem imperium, quod memorat, ipsius universum fuerit; sed illud sibi partim *Ericus* Danorum princeps, partim ejusdem frater *Gormo* vindicaverint, de quibus memoratum jam ante? Et habent prætetea domesticæ Danorum memoriæ, quæ Frothoni eorum Regi, (qui diu post annum Christi nongentesimum rebus præfuit) utriusque & Daniæ & Angliæ sceptrum tribuant? Verum ex titulis Regum si de eorum dominio facienda conjectura; quid de imperatore *Conrado* dicemus? qui anno Christi 1139, enarrans imperii sui statum, scribere ad *Johannem Constantinopolitanum Imperatorem* veritus haud est, sibi non Angliam modò & Daniam, sed Hispaniarum quoque regnum & Franciam dicto audientem haberi. Hujus epistolæ exemplar apud Othonem Frisingensem servatur; ubi, præter cetera, hæc legas: *Adhæc Francia, Hispania, Anglia, Dania ceteraque regna imperio nostro adjacientia, quotidianâ legatione suâ, cum debitâ reverentiâ & obsequio nos frequentant,*

Vide Histor. nostram Danicam lib. 5.

quentant, ad ea quæ imperii nostri mandata sunt, se prompta eße tam obsidibus, quàm sacramentis affirmantes. Quod verò deinde adjicitur, de rege Danorum (*Canuto Magno*, qui rerum post *Ethelredum*, Edgari filium, apud Anglos potitus fuit, eum verbis expressissimis testari, oceanum Britannicum suæ esse ditionis; meritò id testatum concedo, etiamsi latissime quis, non ad Norvagos modò, sed ultra quoque accipere oceanum velit; sed ità, ut ibi insularum quidquid boream versus sit, non ut pertinens ad Britannos, sed ad Norvagiam Daniamque, cujus utriusque non minus quàm Britanniæ Rex erat, universum accipiatur. Quamvis interea & hoc fatendum, innuere ac commonstrare eodem maximum hunc regem, non sine summâ animi demissione, voluisse, maris & undarum quod sibi vindicare dominium homo posset, id nullum esse, si vis ac indoles, quæ est à summo numine huic elemento indita, propius inspiciatur, ut mox ad cap. XII. lib. I. dicetur uberius, libro, qui sequitur, Discussionum harum secundo.

Hinc Seldenus, ut Scotis quoque & Pictis, utpote Britanniæ ejusdem ad boream populo, aliquod simul marinum imperium tribuat, adducit ibidem Aimonii

itemq; incerti authoris de anno DCCCXLVI. hæc verba: *Scoti à Normannis per annos plurimos tributarii efficiuntur, insulis circumquaq; positis, nullo resistente, potiti immorantes.* At quid illud potest testimonium ad demonstrandum aliquod ibi fuisse Scotis in mari dominium, cum, ut verba habent, eos sibi Norvagi tributarios haberent? & eos, aliosque si qui essent, haud multo post, ut statim exinde subdit Aimonius, unà cum extremâ Britanniâ, quæ & Scotia dicta, in totum perdomuerint? Verba Aimonii ità habent: *Westerfilda regio ultima regni Norvagorum, inter septentrionem & occidentem sita, contra Aquilonem Britanniæ summitatem respicit: cujus principes & populus eis subjici recusabant. Quibus perdomitis, cum reversi essent &c.* Perdomitum ecce ac subjugatum à Norvagis non modò si quid in proximo insularum ejus maris Scoti tenerent, sed ipsa quoque aquilonaris Britannia. Adeò ut facile intelligi hinc queat, cui illarum gentium marinum per id tempus dominium debeatur, victricine, an verò devictæ ac tributariæ? ut omittam, eosdem tum Norvagos sive, ut vocabant, Normannos haud conquievisse circa boreæ has oras, sed ad Galliæ quoque maritima, conversâ classe, Sequanæ fluvio invectos,

Lib. 4. cap. 20.

ctos, Parisiorum Lutetiæ obsidionem fecisse: ipsumque adeò Regem Calvum, campis & castris exutum, eo angustiarum ac necessitatis compulisse, ut bonam regni sui partem obtinendam ipsis colendamq; concesserit: quæ aliaque ejusmodi, prolixe à nobis ex classicis atque ævi hujus chronologis collecta, memoravimus alibi. Libro historiæ Danicæ 4.

CAPUT XII.

Guilielmus Rollonis Dani abnepos Conquestor dictus, superato Haraldo, novum Angliæ imperium inducit. Ejus ex stirpe hodierni Reges. Salvus conductus an dominium indicet. Littoris Britannici præfectus apud Eginhartum qualis.

HInc Seldenus clarissimus, Angliæ Regum, post Normannorum in insulam adventum, marinum dominium declaraturus, ejus testimonia, quæ putat esse luculentissima, in octo præcipue capita, Ordinis ac methodi causâ, tribuit. Horum est Lib. 2. cap. 12.

I.

Custodia, præfectura, seu Admirallatus Maris Anglicani seu territorii seu provinciæ Regiæ.

II.

Dominium insularum littori Gallicano *præjacentium.*

III.

Impetrata Exteris *transeundi per* hoc mare venia.

IV.

Libertas piscandi in eo exteris vicinisque *indulta, & tutela piscatoribus præstita.*

V.

Leges & termini exteris, qui invicem hostes, *Anglo utriq; amici, per hoc mare mutuo deprædarentur, præstituti.*

VI.

Tabulæ in sacris Scriniis *publicæ, quibus dominium ejusmodi obiter, idque tum à Rege ipso tum ab Ordinibus Angliæ parlamentariis, velut aliud agentibus, ut res certissima, diserte asseritur.*

Juris

VII.

Juris patrii Commentaria moresque *receptissimi, quibus sive aßeritur sive admittitur ejusmodi dominium.*

VIII.

Veterum aliquot *notæ minoris testimonia.*

Sed hîc ut rebus lux clarior accedat, & ne quis Angliæ Regum marinum dominium,ac inde simul eadem in Britannia Normannos nominare exaudiens, diversum quidpiam , & hos ab illis esse alios sibi fingat,vel imaginetur;Scire refert,Romanos rerum dominos,postquam insulam Britanniam suam fecissent,diu ac multa ibi secula imperinm tenuisse: Atque inde fatiscente re Romanâ,quod supra est demonstratum, successisse ac insulæ dominium sibi parasse genrem è Cimbricâ chersoneso qui Angli-Saxones ac Vitæ nuncupati : Et illis vicissim , post item secula aliquot , à validiore populo , circa eandem Chersonesum co-ente , qui tum Dani appellati , superatis domitisque , imperium insulæ ad Danos eosdem recidisse : Et eorum quidem primum fuisse *Suenonem* Daniæ Regem ; hinc

hinc filium ejus *Canutum Magnum* & eum secutos mox *Haraldum* & *Hardecanutum* filios: ac iis sine liberis mox defunctis, uterinum ex *Emmâ* matre, fratrem Hardecanuti, *Eduardum*, Confessorem vulgò dictum, sceptrum accepisse: sed is cum dolo soceri sui *Godvini* esset inescatus, *Haraldum*, Godvini ejusdem filium, ex Thyrâ Danica genitum, regem assumtum; Sed eo mox à Guljelmo Conquestore Normanno, quòd se promissis ab eodem delusum diceret, classe atque armis superato, devolutum postremò ad Guljelmum, Normanniæ Ducem, Angliæ sceptrum. Cujus exinde prosapiæ felicissima posteritas imperium ibidem tenuit hodieque tenet.

Quibus eum in modum ex historiâ repetitis, facile jam erit intelligere, maris hoc tempore dominium penes Canuti, Danorum Angliæque Regis, posteros, non tam florens, ut initio, sed accisius fuisse: & ideo prævaluisse tandem eis *Guljelmum* hunc Normanniæ Ducem. Qui licet è boreali hac etiam plagâ genus traheret, utpote Rollonis (qui primus in Galliæ littore à se & gente suâ appellatam Normanniam constituit) abnepos, tamen ægrè Danorum Regem Suenonem Esthritium Canuti Magni nepotem habuit, quod Godvini & Ha-
raldi

raldi primum technis deceptus, post *Eduardum*, absenti sibi Angliæ sceptrum videret præreptum; & nunc vicissim, excluso aut interempto *Haraldo*, id suæ potestatis Normannum fecisse. Nec latere hoc Normannum potuit, qui idcirco nihil prius habuit, quàm Danici belli tempestatem, quam impendere videbat, avertere & sibi vel gratiâ vel pecuniâ quietem redimere. Quâ in re præcipuè est usus *Adelberti* archiepiscopi Bremensis operâ. Hic enim muneribus Guljelmi persuasus summo adlaboravit studio ut inter Suenonem & & Normannum pax coiret. Et eam licet aliquatenus consecutus Archiepiscopi solertiâ *Guljelmus* videretur, non tamen in plenum frui potuit. Nam Sueno etiamsi ipse domesticis atque aliis rebus distentus, nihil in adversum moveret, tamen filii ejus *Haraldus* & *Canutus*, assumptis comitibus *Esberno* & Torchello, cum classe ducentarum & quadraginta navium anno millesimo sexagesimo nono ostium Humbri fluminis hostiliter ingressi. Cumque in terram descendissent, & fama eorum late divagaretur, obvios habuerunt magnâ cum armatorum manu *Edgarum* Ethelingum & Comitem *Waltofum*, qui à Guljelmo Notho, dum is levissimis de causis in omnes Angli-

MLXIX.

Anglici & Danici generis nobiles desævit, ex Angliâ profligati apud Scotos se extorres continebant. Hi occasione Danicæ classis illud agendum putaverunt, ut, copiis suis cum *Haraldo* & *Canuto* conjunctis, Guljelmum communibus viribus oppugnarent. Itaque percusso inter se fœdere, Ebroacum versus iter instituunt cunctaq; ferro & igne populantur. Inter ceteros archiepiscopus urbis *Alphredus* tanto terrore adventantium Danorum exhorruit, ut animi internecino mœrore affectus cõtinuo exspirarit. Interea, qui urbi relicti erant præsidio Normanni, ubi per speculatores cognoverunt Danos vix bidui abesse, consilium capiunt incendendi suburbana præsidia, ne usui hostibus forent, seque intra urbem continerent. Injecto itaque castellis igne, subortus rapente ventus vagantem flammam adeò in altum lateque evexit, ut igneæ scintillæ magnâ cum copiâ urbem versus diffusæ majus intra quam extra muros incendium fecerint, quo pene ædificia universa cum æde divi Petri in totum absumpta sunt. Quocirca quod erat intra urbem præsidium civiumque plurimi exire compulsi, in hostem, quem vitare studuerant, incidunt. Hîc à Danis Normanni, cum ad urbem, quæ jam in

in favillas quaſi conciderat, regreſſus non eſſet, adeò confertim cæſi, ut ultra homi- num tria millia trucidata chronologi re- ferant. Inde manubiis ac ſpoliis comple- tâ claſſe ac verſo quàm celerrime in Nort- humbros procinctu, eos in fidem ultro ſe dedentes recipiunt. Jamque totam pene, quæ eſt ad boream Angliam Danus tene- bat, ſeque ad oppugnandum Londinum parabat, niſi anni hiems, ſolito vehemen- tior, expeditionem tardaſſet. Talibus igi- tur adverſariis dum regni ſui initio confli- ctatur hoſteſque experitur *Guljelmus* Nor- mannus, jure meritoque ſibi ac regno univerſo de præſidiis præfectiſque & ad- miralliis (ut eos Seldenus ac publicæ tabu- læ vocant) qui mare cuſtodirent, omni ſtudio proſpexerit. *Botecarli* & *boteſuens* vocabula, quæ iiſdem in tabulis occurrunt, hodieque Danis uſitata ſunt, pro *cimbarum*, *lemborum* ac *myoparonum miniſtris*, *remigi- bus* ac *claſſiariis*. *Bote* enim *cymbam*; *karle*, *virum*; *ſuen*, *miniſtrum* ſeu *famulum* ipſis notat.

At qui inde ſequenti capite verſus addu- cuntur vernaculi poetæ Anglicani, qui ſub Richardo 2, annum circiter Chriſti 1399 claruit, quibus Richardus voluerit, maris tutelam, id eſt, navigantibus ſecuritatem præſtari Lib. 2. cap. 14.

præstari inter Middelburgum Zelandiæ & Orewellam Angliæ, iis non video quomodo ob id Angliæ Regi Richardo universi maris ejus dominiũ attribui debeat? Nam & Belgii fęderati aliæq; prætoriæ naves cum negotiatorũ suorum onerarias vel in Angliæ, Galliæ aut Daniæ Norvegiæve portus deducant, quis inde jure concludat, marium eorundem penes easdem, aut quibus illæ obsequio sunt, esse Dominium? Neget Gallus, negabunt & ceteri.

Lib. 2. Quod verò cap. XVIII deinceps à Seldeno memoratur, in verbis Eginhardi, vitæ *Caroli Magni* scriptoris coætanei; non quidem *maris Britannici* sive Aremorici, sed *littoris Britannici præfectum* nuncupari *Rutlandum*, verum quidem est: Sed an eo nomine non is, qui mari, ut provinciæ, sed qui littori, ut dignitatis limiti, præest, designetur, quod idem vult Seldenus, dubitare faciunt, quæ de Carolo eodem alibi memorantur. Etenim is *Oceani Gallici* littus non lustrasse modo, sed classem insuper in eos, qui mare illud infestarent, emisisse, diserte refertur Aimonio.

Lib. 4. cap. 90. Verba appono, quæ ità habent: *Redeunte vernâ temperie, medio fere Martio Rex Aquisgrano digressus, littus* OCEANI GALLICI *perlustravit: & in ipso* MARI, *quod*

quod tunc piratis Normannicis erat infestum, classem instituit, præsidia disposuit, &c. Et observandum, qui hîc *Oceanus Gallicus* dicitur Aimonio, à Gallis scilicet defensus assertusque; eundem haud aliter olim Cornelio Tacito *Gallicum mare* dictum, ut est à nobis suo suprius loco memoratum. Et denique in verbis Aimonii licet *littus Oceani Gallici* nominetur, non tamen hæsisse circa continentem aut maris oram præfectorum curam, indicat ipse Carolus, qui dispositis circumquaque præsidiis classem addidisse memoratur. Et idem exinde à posteris ejus, quique longâ serie sequuti fuere, factitatum quis à vero alienum dixerit? Adeò ut prolixè quæ disputat deinceps capite insequenti XIX Seldenus, quod scilicet, in Dominio insularum littori Gallicano præjacentium, perpetuò à Regibus Angliæ retento, possessio maris, in quo sunt sitæ, à majoribus accepta eluceat; ea sine dubio ad Normannos, qui Angliæ à devictæ sua quoque territoria ac ditiones intulêre, referenda videatur. Quæ aliis, ad quos spectent, despicienda relinquo, ad alia, & quæ nostri magis instituti sunt, festinans.

Cap. 6.

Libro eodem 2.

CAPUT

CAPUT XIII.

Venia tranſeundi ac prӕternavigandi conceſſa aut petita quatenus Dominium ſignificet. Dißenſus Seldeni & Cambdeni, circa reginӕ reſponſum, Daniӕ legatis redditum. Concilandi idem conatus.

Seldenus cap. 20. lib. 2.

QUod deinde ex Veniâ tranſeundi ſeu prӕternavigandi, exteris vel indultâ vel petitâ, maris aſſeritur Dominium ac poſſeſſio; hoc quidquid eſt, eſſe temporaneum ſuevit, dum bella inter principes ac vicinos tenent. Tum enim ne commeatus & bellicus prӕſertim apparatus hoſtibus advehatur omnia agere principes ſolent, ut adverſarii vires, quӕ aliunde ſuſtentari quoquo modo poſſint, accidantur. Quӕ ſi aliàs aperto in mari fiant, jura Gentium violari, tolli commercia ac fœdera non immeritò cuncti fateantur. Nec illud maris Dominium uni alicui Regum, ſed cunctis principibus ac rebus publicis, quӕ mare accolunt, commune haberi omnes norunt. Sic Hiſpani, Galli, Dani ſuum quiſque

que districtum sartum tectum tuetur, & quà possunt, id insuper agunt, ne etiam illi, qui hostes non sunt, aut haberi saltem nolunt; quidquam adversariis, quod esse eis commodo possit, terrâ marive aut aliàs adportent. Ità Belgii fœderati Ordines, eorumque prætoriæ naves, Hamburgensium, Bremensium aliorumve classes ab illis littoribus ac portubus, qui hostium sunt, non arcent modò, sed in eos irrepere contra edicta conantes, vel ex iisdem prodeuntes capiunt ac suæ potestatis faciunt, si præter leges iisdem intulisse quidpiam compertum fuerit: Et id sæpenumero iis in locis ac maris finibus, cujus ipsi Domini non sunt. Quod verò Daniæ memorantur, Sueciæque reges, ut & Hansaticæ civitates enixè sæpiusque ab *Elizabethâ* Angliæ regina flagitasse, ut liber illis esset per mare Anglicanum in Hispaniam transitus, jure hoc ipsis negatum aspectu eo, quem memoravimus, durante scilicet in Hispanum bello, ne ipsi quidem diffiteantur, & ideò certis legibus tutus transitus ab illis petitus. Qui & concessus fuit, ut acta ostendunt anni MDXCVII. Tum enim *Georgius Carevius* Cancellariæ primicerius in Prussiam à Reginâ missus, ut edoceret Regem & Ordines Poloniæ atque Civi- Vide Camd. ad an. 1597.

E tates

tates Prutenicas, quæ Dzialino legato responsa: simulque Reginam ex gratiâ permittere, ut frumentum & omne genus mercium (præter bellicum apparatum) in Hispaniam libere transmitterent; etsi ex jure gentium & Civili, ad hostem missa intercipere liceret; utque Hanseatici antiquis fruerentur privilegiis in Angliâ; modo illa ut privilegia ex principum gratiâ indulta, & non ut pacta ex juris rigore exposcerent. Privilegia enim, ex Principum gratiâ subditis, nedum exteris, concessa, pro temporum ratione, Reipublicæ bono, aliisque de causis posse suspendi, revocari etiam & rescindi. Hanseaticos hoc in Daniâ & Sueciâ, belli similiter tempore, expertos; & in Angliâ Eduardo VI, Philippo Mariaque regnantibus. Aliam regnorum, aliam civitatum esse rationem &c. Quo eodem anno legati à Rege Danorum Christiano IV. in Angliam missi, hi erant nobilissimi & amplissimi viri *Witfeldius* & *Berncovius*, & à Reginâ benignissime excepti, responsum, inter cetera, quæ ipsorum postulata spectabant, retulerunt; quo *utrimque inter reges regnaque renovanda fœdera; bona si qua essent Daniæ Regis subditis ablata, restituenda, nec deinceps intercipienda, certis legibus Regina adpromisit.* Leges hæ erant, ut
(excepto

(excepto bellico apparatu) frumentum ceteraque mercimonia in Hiſpaniam transmittere fas ipſis eſſet. Toto hinc cœlo diſſentit & abit, quod Seldenus reſponſum iiſdem legatis redditum, adducit. *Reginam ſcilicet, nullâ ratione poſſe adduci ut illud conſentiat fieri.* At conſenſiſſe, & ità reſponſum à Reginâ, ut poſui, doceat etiam ad eundem hunc annum 1495. clariſſimus Cambdenus, Seldeni popularis. Et verò ecquis veriſimile dicat, quod urbibus Hanſaticis, ut jam oſtenſum, indulſerat, id negaviſſe eam Danorum Regi? Verum quæ ſequutæ exinde ſingulorum navigationes rem, ut diximus, habere, ſatis evincant; & oſtendent præterea, quæ ſuo aliquando adducemus utriuſque principis inſtrumẽta claſſica, ſi numen faverit: Interim ut conciliemus, dixerim, Seldeni quod adducitur reſponſum, non tam à Reginâ, quam ejus conſiliariis profectum: idque colligi ex iis, quæ ibidem parentheſi includit, illis ſcilicet: *Viri nempe primarii erant à ſacratioribus conſiliis Reginæ, qui reſpondebant.* Viri ſcilicet illi primarii, tale fortaſſe quidpiam, ut fit, injecerint, priuſquam ultimum ac decretorium hoc reginæ reſponſum ſcripto comprehenſum ac conſignatum, legatis redderetur. verba Cambdeni,

Eodem cap. 20. lib. 2.

Parte IV. hist. Angl. ad an. 1597. quæ respexi, hæc sunt: *Hoc anno à Christiano IV. Daniæ Rege venit Arnoldus Witfeldius Regni Cancellarius, cum Christiano Bernecovio, qui reddita Georgiani Ordinis periscelide, quâ Regis patrem Fredericum Regina honoraverat, antiqua inter Angliam & Daniam fœdera renovari, &, ne Danorum bona in mari interciperentur petiit &c. Regina legatos benignissime complexa, fœdera renovanda; bona, si qua fuerant intercepta, restituenda, nec deinceps intercipienda, certis legibus promisit.* Certæ illæ leges, quæ fuerint, superius jam memoratæ.

CAPUT XIV.

De immensâ, quam tribuit Angliæ Regi Albericus Gentilis, marinâ jurisdictione pauca posita. Liber piscandi commeatus tam exteris quam Angliæ subditis aliquando concessus. Halecum apud Anglos fumo induratarum præeminentia. Halecum alibi affluentia & capturæ earumque defectus.

Lib. 2. QUæ deinceps disputat Seldenus capite, quod sequitur 21. de venia piscandi ab Angliæ Regibus concedi exteris

uti

uti & Capite deinde ſequenti de Termino iiſdem præfigi ſolito, eſſe id dominii marini inſigne vetus ac manifeſtum; facile concedi poteſt, ſi dominium accipiatur finitum ac limitibus ſuis circumſcriptum. Nam id late profecto & oppido fuſè expandi ab Alberico Gentili quis non fateatur? cujus verba hæc ſunt: *Vides quam protendatur Regis noſtri* (Angliæ) *imperium in meridiem, ſeptentrionem, occaſum. Hiberniæ meridionalia terminantur ad Hiſpaniam; occidua ad Hiſpaniæ regna Indica.* Quæ etiam ipſa adducit capite 22. probatque Seldenus & arguit ſimul Johannem Gryphiandrum Juriſconſultum, & ab eo perperam intellectum Albericum ait, cum finibus certis circumſcribi marinum Angliæ Regis imperium ex ipſo probare ſtudeat. Sed verba ipſa Seldeni ponam quæ ita habent: *Male ſane Gentilem intellexit Joannes Gryphiander, qui de rebus maritimis fuſe diſſerens, locum quem citavimus, ita ex eo breviter affert, ac ſi Jacobi Regis Edicto illo jurisdictio ejus ſimpliciter finibus illis fuiſſet coercita.* Hæc Seldenus. Gryphiander ità loquitur. *Angliæ juriſdictio marina quamvis in meridiem, ſeptentrionem & occaſum porrigatur, tamen Edicto Jacobi hodierni Regis, certis finibus in Mari circumſcripta eſt.* Quæ

In advocat. Hiſp. lib. I. cap. 8.

Tract. de inſul. c. 15. §. 5.

ubi adduxisset Gryphiander, addidit se id facere authore Alberico Gentili. Sed concedatur malè hîc authoritatem obtendere Alberici Gryphiandrum præsertim cum superius citatis Alberici verbis, continuò ab eodem Alberico subjiciatur: *Et sic est immensum lata jurisdictio Regis nostri marina. Nec eam cogit secutum quoddam Regis Edictum, quo sunt fines quidam notati, ultra quos nolit Rex potestatem porrigi territorii sui in bellicis his gestis Hispanorum & Hollandorum:* malè inquam authorem hîc laudarit *Albericum* Gryphiander, tamen Alberico ecquis accedat applaudatq; adeò immensum Regi suo jus ac jurisdictionem per Neptuni hoc æquor metanti? præsertim cum ipse Rex suo in Edicto metas agnoscat ac singulis terminos suos figat? Sed de his disputare alios quàm me malo. Interim non possum quin adducam hîc responsum, quod redditum olim Bernardino Mendozæ, Hispani in Angliâ legato, frementi ac res à Draco in oceano Indico raptas repetenti. Ei inquam, Reginæ tum nomine, ità responsum, ut planè id evertat Alberici Gentilis ac Seldeni positiones istas, quibus etiam Indicum versus occidentem mare vastumque illum oceanum Anglici Regis imperio dominioque circum-

cumſcribere, ac veluti claudere, ſatagunt. Eſt autem iſtud: *Hiſpanos iniquitate in Anglos, quos commercio contra jus gentium prohibuerunt, hæc ſibi mala accerſiviſſe. Dracum præſto futurum ut in jure reſpondeat, ſi quid contra jus egiße certis indiciis & teſtimoniis convincatur. Opes illas eo conſilio ſepoſitas eſſe, ut Hiſpano ſatisfiat, licet Regina grandiorem pecuniam, quàm Dracus intulerit, contra rebelles, quos Hiſpanus in Hiberniâ & Angliâ excitarat, profuderit. Præterea illam non intelligere, cur ſui & aliorum Principum ſubditi ab Indis prohibeantur, quas Hiſpanici juris eße perſuadere ſibi non poſſet, ex Pontificis Romani donatione, in quo prærogativam in ejuſmodi cauſis agnovit nullam, nedum authoritatem: ut Principes obligaret, qui nullam ei obedientiam debent; aut Hiſpanum Novo illo Orbe quaſi infeudaret & poſſeſſione inveſtiret. Nec alio quopiam jure quàm quod Hiſpani hinc illinc appulerint, caſulas poſuerint, flumen aut promontorium denominaverint, quæ proprietatem acquirere non poßunt. Ut hæc rei alienæ donatio, quæ ex jure nihili eſt, & imaginaria hæc proprietas obſtare non debeat, quo minus ceteri principes commercia in illis regionibus exerceant, & colonias, ubi Hiſpani non agunt, jure gentium nequaquam violato, deducant, cum præſcriptio ſine poßeſſione haud valeat*

Extat apud Cambdenum ad an. 1580.

leat; nec non Oceanum illum vastum liberè navigent, cum maris & aeris usus omnibus sit communis. Nec jus in Oceanum populo, aut privato cuipiam possit competere, cum nec naturæ, nec usus publici ratio occupationem permittat.

Lib. 2. Porro & illud hîc obiter adjiciam ex Capite eodem 21, quod initio posui, ubi à Seldeno citantur Cambdeni hæc verba: *Operæ pretium videatur adnotare uberrimam & quæstuosissimam in subjecto mari halecum (sive leucomænidarũ aut Chalcidum si ita mavis) piscaturam Hollandos & Zelandos exercere, cum veniam prius, veteri instituto, ex hoc castro impetraverint. Veniam enim piscandi semper concesserunt Angli, honore sibi reservato, utilitate verò exteris quasi per desidiam resignatâ. Incredibile enim fere est, quantam pecuniæ vim ex hac in nostro littore piscaturâ Hollandi sibi corrogent.* Deinde addit Cambdenus, quæ à Seldeno omissa: *Haleces hæ (ignosce quæso si paucis divini erga nos beneficii extra ordinem meminero) Britanniam nostram non sine divino consilio, numerosis examinibus quotannis circumnatant &c.* Quibus ex verbis præstantissimi Cambdeni intelligitur, piscandi in aperto hoc, sive mari sive littore, veniam semper concessisse Anglos, honore quasi contentos, utilitate

tate verò, dum ipsi eam insuper haberent, exteris resignatâ. Sed & veniam eam, ut bene mox subdit Seldenus, ex fœderibus cum vicinis principibus sæpenumerò remissiorem fuisse, & tam indigenis, quàm exteris promiscue patuisse hoc mare nullâ indultæ libertatis ratione habitâ. Et verò llud est, quod suggerat, præter cetera. Tractatus pacis ac mutui commercii, qui nitus est Londini ann. 1459. inter serenis. Angliæ Regem *Henricum* septimum & *Philippum* Archiducem Austriæ, Ducem Burgundiæ &c. Hollandiæ Zelandiæque Comitem. Quo in tractatu Cap. XIV. hæc egas: *Piscatores utriusque partis partium prædictarum cujusque conditionis existant, poerunt ubique ire, navigare per mare, securè iscari, absque aliquo impedimento, licentiâ u salvo conductu &c.* Quod autem adjiit Cambdenus, *quasi per desidiam*, cedere nglos eam piscaturam exteris; accipi non inertiæ exprobratio aut gentis sugiltio debet. Nam, ut inquit poeta, *non onis fert omnia tellus*, ità nec omnibus conssum salire haleces, & eo quidem modo, mos est Belgarum, ac tali condire muriâ, iâ longe lateque distrahi & in annum rvari non unum queant. Hujus ingenii imus inter Belgas author memoratur Cap. 21.

E 5 circa

circa an. Chrift. 1416. *Guljelmus Buckeldius* qui anno exinde 1446. Biervlieti extremum diem claufit. Et tanti quidem feciffe hoc inventum ejus Auguftus ille imperator *Carolus* quintus dicitur, ut anno MDLIV. Biervlietum unà cum forore Mariâ Hungariæ Reginâ adpellens fepulchrũ Bucheldii adierit, veneratufque fit, haud fine memoriâ ejus tantique ad omnem pofteritatem ab eo ejufque induftria profecti beneficii celebratione. Sed hoc ut Belgis, Hollandifque, quafi indulgente fummo numine, propriũ quodammodo datum, itá aliis viciffim conceffa alia. Et ad Anglos ut veniam, quis non dono fimiliter peculiaris cujufdam Genii conceffam ipfis rationem fateatur, eum in modum fumo eafdem haleces indurandi, ut, licet alii idẽ tentent, Anglicæ tamẽ, Engelfche bucking dictæ, palmam omnibus auferant, & earum, ut canit poeta,

Vfque ad Cæfareas ferat admiratio menfas.

Quod & de apuis fimul eorum infumatis, quæ harengæ foboles & quafi halecis pullus dici queat, æftimari fimiliter licebit; cum eas gentium ac terrarum nulla nifi Anglia nobis fuppeditet: ipfi noftratefque *fprot* appellant.

Hin

Hinc postremò clarissimus idem Cambdenus, quod numerosa hæc halecum examina, velut singulare divini erga Anglos beneficii munus celebret, meritò id ac pie ab eo fieri, doceant tractus, quibus illa indulta olim, nunc erepta non sine dolore eorum videmus. Memorat Saxo, quem Grammaticum dicimus, seculi sui præco, Daniæ quondam in oris, circa præsertim Scaniæ districtũ, quem Falsterboam nuncupant, eam piscium & halecum præcipue fuisse affluentiam, ut manibus non modò & absque nassis aut piscatoriis verriculis caperentur, sed ità sæpenumerò freta & sinus omnes earum repletos frequentiâ, ut impacta subinde navigia vix remigii conamen (sunt ejus verba) eriperet. Quod deinde beneficium ad Norvagos transiit, & ibi cum substitisset aliquandiu, alio & ad nasce Scotiæ Angliæque oras jamdudum migravit; ut est humanarum rerum quædam sive uicissitudo sive Nemesis occulta, quæ nihil quod modum excedit, & maxime cum luxus bonorumque, quæ cœlitus obtingunt, abusus & usucapiones intempestivæ concurrunt, esse diuturnum aut proprium permittit. Quod & Satyricus olim animadvertens, in ævi sui profligatissimos mores versum jecit, qui & hîc Iuvenalis. habere

habere locum poteſt, dicereque cum eo liceat:

Atq; ità defecit noſtrũ mare, dum gula ſævit.

CAPUT XV.

Meridionale, quod Angliæ adjacet, mare ulteriuſque patet, Gallicum Mare Tacito dictum. item Aimonio quid Oceanus Gallicus.

CONtinuò deinde quod ſequitur apud Seldenum Cap. XXIII. libri ejuſdem ſecundi, ubi Eduardus Rex, ejus nominis tertius, nominatur certo in Edicto, quod ibi videre eſt, DOMINUS MARIS ANGLICANI CIRCUMQUAQUE, haud favere videtur ſententiæ, quæ poſita ſuperiori Capite, Alberici Gentilis, qui, præter tractum meridionalem ceteroſque ut vult, Anglo adtribuendos, ab Hibernico inſuper mari ad Hiſpanias uſque & Indiæ occiduæ littus, maritimam Angliæ Regis jurisdictionem pertinere ſtatuit. Cujuſmodi etiam ſunt, quæ in eodem Edicto Eduardi tertii leguntur, ea nimirum: *ſi ad partes dominii noſtri vel ad partes Scotiæ præſumpſerint*

serint declinare, Galeæ nimirum Gallorum, quæ erant in littore Normanniæ & Britanniæ Gallicæ, dominii scilicet Gallici. Et naxime, quod occurrit in tabulis Parlenentariis Henrici quinti Angliæ item Regis, videtur nec Seldeno favere, volenti imiliter mare idem totum, quod Gallias & Angliam interluit, esse & fuisse perpeuo Anglorum. Ei inquam vix favere videantur hæc earundem tabularum verba: *um Rex dominus noster supremus, & illustres ejus progenitores perpetuo fuerint domii Maris, & jam ex gratiâ divinâ evenerit, ictum dominum nostrum Regem, dominum se littorum utriusque partis maris*, indicare quam hæc videantur, perpetuo quidem isse eum, Henricum nimirum v. domium *maris*, nimirum *Anglicani circumquaue*, ut habet, cujus statim memini, Ediium Eduardi tertii Regis: Et nunc ex Dei atiâ etiam obtinuisse eum, Henricum inam v. ut dominus esset utriusque litto, Angliæ & Gallici, & ideò vectigal irgare eum cunctis per mare illud transetibus; quasi antea scilicet factum id haud isset: Et hoc utcunque sit, colligendum tem videatur, hæsisse jam ante rem & is controuersi habitam. Certe jam olim antiquissimis seculis etiam Gallos, suum

mare

mare littusque, ut & jus ejus, tutatos nihil ſit certius, & ideo, quod ſupra eſt poſitum, Tacito hoc *Mare Gallicum* nuncupatum. & Aimonius præterea, cujus itidem ſuperius memini, tempore Caroli Magni, *Oceanum Gallicum* idem dixiſſe reperitur. Et Taciti quidem verba, quæ ſuut in vitâ Agricolæ, ita habent: *Siquidem Hiberniâ, medio inter Britanniam atque Hiſpaniam ſita, & Gallico quoque mari opportuna, valentiſſimam imperii partem magnis invicem uſibus miſcuerit.* Ex quo intelligi ſat ſit, quo fuerit, verſus hunc tractum, poſitu Gallicum hocce mare, ut de cetero nunc non dicam.

Cap. 101. lib. 4. de Geſ. Fran.

CAPUT XVI.

Actiones à Seldeno poſitæ, aliaque obiter indicata. Mare Anglicanum itemque Flandricum certis diplomatibus expreſſa definitaque.

Lib. 2.

HInc quæ adferuntur à Seldeno Capitibus inſequentibus 24. & 25. de jure Patricio deque teſtimoniis minoris nota dominium Angliæ marinum indicantibus præ

præterire & aliis uberius diſcutienda relinquere, quam obiter attingere ſatius puto. Sicuti nec illud reſponſione noſtrâ magnopere indiget, quod Capite ibidem libri 2. vigeſimo ſexto memoratur, exteros velorũ demiſſione dominium Regum Angliæ marinum agnoſcete; cum id cuique principum ſuo in territorio diſtrictuque debeatur, præſtandumque nemo non eſſe conſentaneum judicet. Neque illud quoque attingendum mihi ſummopere, quod diſſeritur exinde cap,27. ſuper libello,ſive Actione antiquitus editâ in *Reginerũ Grimbaldum*, Francicæ claſſis præfectum; quod ejuſmodi propiorem, & aliorum, quos iſta magis ſpectant, quàm noſtram diſpunctionem deſiderent. Neque admodum ſimiliter immorabor iis,quæ ex legatione adducuntur Flandrorum ad Eduardum 2. quaſi ea Flandri dominium Angliæ marinum luculenter & ἐξεχῶς recognoverint. Nam ibi ſi verba inſpiciantur propius, haud ea trahenda ulterius, quàm ad Anglicanum mare diſtrictumque ei oræ debitum, verſus partes nimium de Graudem, intra poteſtatem Regis Angliæ poſitas, ut habent diſertè verba Recognitionis memoratæ, iſta nimirum: *Ante omnia ſupplicabant* (Flandri) *ut di-*

Ibidem cap. 4. 29.

ctus

ctus dominus Rex de potestate sua Regiâ inquiri, & justitiam faceret de quadam deprædatione quibusdam hominibus de Flandria nuper de vinis & aliis diversis mercimoniis suis supra mare Anglicanum versus partem de Crauden infra potestatem dicti domini nostri Regis per homines de regno Angliæ (ut dicebant) facta; asserentes quod vina ac mercimonia prædicta eisdem Flandrensibus deprædata, adducta fuerunt infra regnum & potestatem dicti domini Regis, & quod ad ipsum Regem pertinuit sic facere pro eo quod IPSE EST DOMINUS DICTI MARIS *& deprædatio prædicta facta fuit supra dictum mare intra potestatem suam.* Quæ singula sole liquidiora sunt, & propius si inspiciantur, Seldeno adversa magis quam faventia, cum nihil excedens urgeant, sed ad certum & intra Regis potestatem situm mare lectorem amandent. Quin & addit eodem Capite Seldenus ex schedis vetustis, quæ ductus archetypos, ut vocat, literarum *Henrici* Regis *quinti* tum ad Comitem Carolesii, tum ad decuriones Ipræ, Gandavi ac Brugarum præ se ferunt, in quibus manifeste hæc leguntur: *deins la jurisdiction, & lestrem de la mer de Flandres*, id est, *intra jurisdictionem & extremitatem maris Flandrici.* Quo loci *Mare Flandricum* haud

Ibidem cap. 29.

aliter

aliter accipiendum, quàm, de quibus dictum, *Mare Anglicanum*, itemque *Mare Gallicum* ab authoribus Regumque diplomatis aliis memoratum, ſuum cuique tribuentibus. Cap. præcedente & alibi.

CAPUT XVII.

Mannia inſula Norvagiæ olim, non Britanniæ propria. vocabulo Mannoer utraque Mannia Norvagis intellecta. Manniæ Reguli clientelares Regibus Norvagiæ. Mannenſium Chronicon. Pacto ad Scotum tranſeunt Ebudæ ſive Hebrides inſulæ, &c.

QUod Mona inſula (Mannia vulgo dicta) inter Angliæ continentes provincias antiquitus ſit numerata, ut Vectis & Lundeia, quomodo aſſerit libro eodem ſecundo Seldenus, ſi de eâ accipiat Monâ, Cap. 3. quæ Tacito eſt nominata, Britanniæ adeò vicina, ut in eam ex continente nando miles transmiſerit, quæque poſt Romanorum imperium ab Angloſaxonibus victa in nomen etiam eorum conceſſit, Angleſei dicta, haud magnopere fortaſſe repugnem; et de aliâ, quę ad boream remotior, medio,

ut ille loquitur, libramine inter Britanniã & Hiberniam est posita, controversum faciat imo neget Giraldus Cambrensis qui sub Henrico II. Angliæ Rege claruit. Is etenim, quod & positum superius, diserte ostendit, omnes non Orcades modò, sed & alias, licet Britanniæ & Hiberniæ quam Norvagiæ viciniores insulas Norvagiæ fuisse antiquitus obsequio & reverentiâ subditas. Verba ejus sunt: *In Oceano boreali trans Ultoniam & Galwediam sunt insulæ variæ, scilicet Orcades & aliæ multæ, quarum fere omnium dominium & subjectionem Norwegienses obtinuerunt, licet aliis regionibus longe propinquius adjaceant &c.* Et chronicon præterea Norvagiæ vernaculum & hanc & illam Tacito intellectam & nominatam Monam nunc *Anglesei* dictam, pluralitatis, ut sic dicam, vocabulo, quod utramque notet, *Mannoer*, id est, Mannias insulas appellat. Fuisseque addit utriusque Regem siue Regulum Magnum Haquini Norvagiæ regis filium: ut est à nobis ad an. 1262. in Historiâ Danicâ memoratum. Nec ita modo Giraldus & Chronicon, quod dixi, sed Chronicon insuper, quod edidit omnium primus Guljelmus Cambdenus, Manniæ nuncupatum, satis indicat antiquissimis seculis haud alios quàm

In topographia Hiberniæ.

quàm Norvagos insulam eam, ut hæreditariam, sibi tenuisse. Et anno præsertim 1047. & insequentibus, cum adversus *Haraldum* Danum, Angliæ Regem, circa Scotiæ confinia, infeliciter pugnasset Rex Norvagiæ *Haraldus Harsager*, adjicit idem chronicion, Gundredum, qui stragi præter ceteros superstes fuit, ex Insulâ mox Islandiâ, quo se receperat, movisse ac suæ potestatis fecisse, defuncto jam priore Gundredo, Syricii filio, universam Manniæ insulam, ac sibi eandem reddidisse hæreditariam. Ita enim habet: *Godredus cum paucis, qui secum remanserant de insulanis, australem insulæ partē tenuit, & reliquiis Mannensium Aquilonarem tali pacto concessit, ut nemo eorum aliquando auderet jure hæreditario sibi aliquam partem terræ usurpare: unde accidit ut usque in hodiernum diem tota insula solius Regis sit, & omnis reditus ejus ad eum ipsum pertineat.* Quod deinde Chronicon ut ostendat, non insulæ tantum ejus, sed maris quoque dominatum circumquaque eundē, dominiumq; obtinuisse, adjicit continuò, occupatâ insuper Hiberniæ metropoli Dubliniâ, Scotos quoque eidem redditos tributarios. Nam ait: *Post id Gundredus subjugavit sibi Dubliniam & magnam partem de Laynesthir. Scotos verò ità perdo-*

*muit, ut nullus qui fabricaret navem vel scapham, ausus esset plusquam tres clavos insere*re. Sed operæ pretium existimo, ne sine teste loqui videamur, ipsa Chronici verba in rem præsentem adducere, quæ sunt ejusmodi:

CHRONICON REGUM MANNIÆ,

ANno Domini 1047. *obiit piæ memoriæ Eduardus Rex Angliæ, cui successit in regnum Haraldus filius Godwini, contra quem Haraldus Harfager, Rex Norwegiæ prælium cōmisit apud* Stainfordbrige, *& Angli victores existentes omnes fugarūt: de quâ fugâ quidam Godredus cognomento* Crovan, *filius Haraldi Nigri de Iselandiâ fugiens, venit ad Godredum filium Syrric, qui tunc regnabat in Mannia, & honorificè susceptus est ab eo.*

Godredus Islandus Crovan.

Eodem anno Guljelmus Bastardus *debellavit Angliam, & Godredus filius Syrric, Rex Manniæ obiit, cui successit filius* Fingal.

Godredus Syrric Rex Manniæ moritur.

Anno 1066. *Godredus* Crovan *collegit multitudinem navium, & venit ad Manniam, prælium cum populo terræ commisit, sed superatus & fugatus erat. Iterum exercitum, & naves coadunavit; venit ad Manniam, pugnavit cum Mannensibus victus & fugatus est.*

Tertio,

Tertio, congregavit multitudinem copiosam, & venit noctu ad portum, qui vocatus est Ramsa, *& trecentos viros occultavit in silva, quæ n devexo montis supercilio, qui vocatur* Scacafel. *Orto lucis sidere, Mannenses construcerunt aciem suam, & magno impetu facto, ongressi sunt cum Gondredo. Cumque pugna ehemens esset, trecenti viri surgentes de insiliarum loco à tergo, Mannenses debilitare cœerunt, & in fugam compellere. Cum autem idissent se superatos, nec aliquem diffugii sibi ocum patere; nam reuma maris* Ramsa *amnis lveum impleverat, & hostes ex alterâ parte nstanter persequentes, qui tunc remanserant, lamore miserabili, postulabant à Godredo vitam sibi donari. Ille autem flexus misericoriâ, & miserans calamitatem eorum, qui apud sos per aliquod tempus nutritus fuerat, revoavit exercitum, & prohibuit ne eos diutius ersequerentur; Godredus sequente die optioem exercitui suo dedit, ut si mallent Mannim inter se dividere, & in eâ habitare, vel intum substantiam terræ accipere, & ad proria remeare. Illis autem magis placuit totam sulam vastare, & de bonis illius ditari, & ad propria reverti. Godredus autem cum ucis, qui secum remanserant de insulanis, stralem partem insulæ, & reliquiis Mannsium aquilonarem tali pacto concessit, ut*

 nemo

nemo eorum aliquando auderet jure hæreditario sibi aliquam terræ partem usurpare. Unde accidit ut usque in hodiernum diem tota insula solius Regis sit, & omnis reditus ejus ad ipsum pertineat. Igitur Godredus subjugavit sibi Dubliniam & magnam partem de Laynestir. *Scotos vero ità perdomuit, ut nullus qui fabricaret navẽ vel scaphã, ausus esset plusquã tres clavos inserere. Regnavit autem sexdecim annos & mortuus est in insulâ, quæ vocatur* Yle.

Godredus Islandus Manniæ Rex.

Moritur.

Subdit hinc idem Chronicon, *Godredo* defuncto successisse ex ordine ejusdem stirpem ac liberos; imperioque potitos sine interruptione annis circiter ducentis; ac mox prævalentibus Angliæ Regibus & in iis sub an. 1210. Johanne præsertim Rege, missam in eos classem navium 500, ac superato, qui tum regnabat, Reginaldo occupatam simul ab eo insulam. Sed eum haud diu eandem tenere potuisse ex iisdẽ memoriis liquet. Nam anno exinde 1226 *Olavus*, Reginaldi frater, à Mannensibus in Regem assumptus, quod intellexissent, Reginaldum fiduciario jure Anglorum Regi subesse: unde & hæsit aliquandiu inter utrumq; & hunc & illũ simultas ac bellum; donec tandem cæso Reginaldo, Olavus, acceptis à Rege Norvagiæ *Haquino* auxiliaribus copiis in Man-

niæ

niæ possessionem regnumq; suū restitutus est. Dein filius ejus *Haraldus* (ità porro Chronicon) quod agnoscere Norvagię Regē, ut beneficiariū neglexisset, eum insulâ exturbari mandavit. At idem exacto mox biennio, postquam se Regi Norvagorum stitisset, in insulam ac dignitatem suam veterem restitutus est. Quæ singula, eum in modum recitata, indicio sunt, longè ultrò ducentos illos annos, quos posuimus, post que annum Christi 1210, quo insulam primò invasit ac vicit, ut diximus, Rex Angliæ Johannes, Norvagiæ exinde Regibus paruisse eam suosque habuisse regulos, qui Regi soli Norvagorum clientelares ac dicto audientes essent.

Quod ut manifestius pateat, ipsam, quæ reliqua est, Chronicii partem, in annos aliquot consequentes ordine subjungam, quæ ità habet:

Reliquit sane (Godredus Islandus) tres filios, Lagmannum, Haraldum *&* Olavum. Liberi Godredi Islandi.
Lagmannus *major natu, regnum arripiens, septem annos regnavit. Rebellavit autem contra eum* Haraldus *frater ejus multo tempore. Sed tandem captus à* Lagmanno, *genitalibus & oculis privatus est. Post hæc, Lagmannus pœnitens, quod fratris sui oculos eruißet, sponte regnum suum dimisit, & signo Crucis Do-*

 minicæ

minicæ insignitus, iter Hierosolymitanum arripuit, quo & mortuus est.

Anno 1075. *Omnes proceres insularum audientes mortem Lagmanni, miserunt legatos ad Murecaidum* O-Brien *Regem Hiberniæ, postulantes ut aliquem virum industrium de regali stirpe in regem eis mitteret, donec Olavus filius Godredi cresceret. Annuit eis Rex libentissime, & quendam Dopnaldum filium* Tadæ *ad eos misit, monens & præcipiens ei, ut cum omni benignitate & modestiâ regnum, quod sibi non debebatur, gubernaret. Sed ille postquam ad regnum pervenit, parvi pendens præcepta sui domini, cum magnâ tyrannide abusus est regno, & multis sceleribus perpetratis, tribus annis enormiter regnavit. Tunc omnes principes Insularum unâ conspiratione commoti, adversus eum congregati sunt, & expulerunt à finibus suis. Ille autem fugiens ad Hiberniam, non est ultra reversus ad eos.*

Lagmanno defuncto petitus Rex à Rege Hiberniæ.

Is imperio abusus infulâ expellitur.

Anno 1077. *quidam* Ingemundus *missus est à Rege Norwegiæ, ut regnum insularum arriperet. Cumque ad insulam* Leodus *pervenisset, misit nuncios ad omnes principes insularum præcipiens in unum convenirent, & constituerent eum regem. Interim verò ipse cum sociis suis rapinis & comessationibus vacabat, mulierum & puellarum pudicitiam violabat, & fœdis voluptatibus & carnis illecebris*

Ingemundus Norwegus è Norwegia ad regnum suscipiendum missus.

bris operam dabat. Cumque hæc nunciata fuissent principibus insularum, jam in unum ad constituendum eum Regem congregatis, nimio succensi furore, domum in qua erat, combusserunt, & eum cum omnibus suis partim ferro, partim flammis extinxerunt.

Ingemundus alia agens ab Insulanis occiditur.

Anno 1098. *fundata est Abbatia S. Mariæ Cistertii. Antiochia à Christianis capta est, & cometa apparuit.*

Eodem anno commissum est prælium inter Mannenses apud Santwat, *& aquilonares victoriam obtinuerunt. In quo bello occisi sunt* Other *Comes, &* Macmaras *principes ambarum partium.*

Eodem anno Magnus Rex *Norwegiæ filius Olavi filii Haraldi* Harfagre, *volens explorare incorruptionem S. Olavi Regis & martyris, præcepit ut ejus mausolæum aperiretur. Episcopo autem & Clero resistente, ipse Rex audacter accessit, & vi regiâ aperiri scrinium fecit. Cumque & oculis vidisset, & manibus attractasset incorruptum corpus, subitò timor magnus irruit in eum, & cum magnâ festinatione decessit. Sequente nocte, Olavus Rex & martyr ei per visum apparuit, dicens: Elige tu, inquam, unum ex duobus, vel vitam cum regno infra triginta dies amittere, vel à Norwegia decedere, & eam amplius nunquam videre. Expergefactus Rex à somno,*

Magnus Norwegiæ Rex.

 vocavit

vocavit ad ſe principes, & majores natu, & expoſuit eis viſionem, illi conterriti, hoc conſilium dederunt ei, ut cum omni feſtinatione de Norwegiâ exiret. Ille ſine mora coadunari fecit claßem centum ſexagintâ navium, & ad Orcades inſulas transfretat, quas ſibi ſtatim ſubjugavit, & tranſitum faciens per univerſas inſulas, eaſque ſibi ſubjiciens pervenit uſque ad Manniam: cumque applicuißet ad inſulam S. Patricii, venit videre locum pugnæ, quam Mannenſes paulo ante inter ſe commiſerant: quia multa adhuc corpora occiſorum inhumata erant. Videns autem inſulam pulcherrimam, placuit in oculis ejus, eamque ſibi in habitationem eligit, munitiones in eâ conſtruxit, quæ hodieque ex ejus nomine nuncupantur. Gallivedienſes ità conſtrinxit, ut cogeret eos materias lignorum cædere, & ad littus portare, ad munitiones conſtruendas. Ad Moniam inſulam Walliæ navigavit, & duos Hugones Comites invenit in eâ, unum occidit, alterum fugavit, & inſulam ſubjugavit. Wallenſes verò multa munera ei præbuerunt, & valedicens eis ad Manniam remeavit. Murecardo Regi Hiberniæ miſit calciamenta ſua, præcipiens ei, ut ea ſuper humeros ſuos in die natalis Domini per medium domus ſuæ portaret, in conſpectu nunciorum ejus, ut inde intelligeret ſe ſubjectum eſſe Magno Regi. Quod

Ejus claſſis 160. navium.

Orcades & Manniã occupat.

Monia inſula Walliæ.

audientes

audientes Hibernienses, ægrè ferebant, & indignati sunt nimis. Sed Rex saniori consilio usus, non solum, inquit, calciamenta ejus portare, verumque manducare mallem, quàm Magnus Rex unam provinciam in Hibernia destrueret. Itaque complevit præceptum & nuncios honoravit. Multa quoque munera per eos Magno Regi transmisit, & fœdus composuit. Nuncii verò redeuntes ad dominum suum narraverunt ei de situ Hiberniæ, & amœnitate, de frugum fertilitate & aeris salubritate. Magnus verò hæc audiens, nihil cogitabat, quàm totam Hiberniam sibi subjugare. Itaque præcepit classem congregare. Ipse verò cum sedecim navibus procedens explorare volens terram, cum incautè à navibus discessisset, subitò ab Hibernensibus circumvallatus, interiit cum omnibus fere qui secum erant. Sepultus est autem juxta ecclesiam S. Patricii in Duno. Regnavit 6. annis. Quo mortuo principes insularum accerserunt Olavum filium Godredi Crovan, qui degebat in curia Henrici Regis Angliæ filii Gulielmi.

Hiberniam petit Rex Magnus.

Occiditur.

Olavus Godredi Islandi filius fit Rex.

Anno 1102. Olavus filius Godredi Crovan, regnare cœpit, & 40 annos regnavit, vir pacificus, habuit omnes Reges Hiberniæ & Scotiæ sibi fœderatos. Accepit in uxorem Africam filiam Fergusii de Galewedia, de qua genuit Godredum. Ex concubinis suscepit Regnal-

Regnaldum, Lagmannum, Haraldum & filias multas, quarum una nupsit Sumerledo regulo Herergaidel, *quæ fuit causa ruinæ totius regni insularum. Genuit ex eâ filios* 4. *Dulgallum, Ragnaldum, Engus & Olavum.*

1133. *Eclipsis Solis tanta* 4. *Nonas Augusti, ut dies in noctem verteretur.*

1134. *Olavus dedit Ivoni abbati de* Furnes *partim terræ suæ in Mannia ad Abbatiam construendam in loco, qui dicitur* Russin. *Et rem ecclesiasticam in insulis & reditibus ditavit & liberalitatibus dotavit.*

Godredus ejus filius Norwegiam petit.

Anno 1142. *Godredus filius Olavi transfretat ad Regem Norwegiæ, cui nomen erat* Ingo, *& hominium suum ei fecit, & moratus est apud eum, honorifice susceptus ab eo.*

Eodem anno tres filii Haraldi fratris Olavi, qui nutriti fuerant apud Dubliniam congregantes magnam turbam hominum, & omnes profugos regis, venerunt ad Manniam postulantes ab eodem Rege medietatem totius Regni insularum sibi dari. Rex autem cum audisset, placare eos volens, respondet super hoc consilium se habiturum. cumque diem & locum constituissent, ubi concilium haberi debuisset, interim illi nequissimi de morte regis inter se tractabant. Constituta autem die convenerunt utræque partes in portu, qui vocatur

Ramsa:

Ramsa: *sederuntque seriatim rex cum suis ex unâ parte, illi unà cum suis ex alterâ. Reginaldus autem medius fuerat, qui eum percussurus erat, stabat seorsim loquens cum quodam viro de principibus terræ. Cumque vocatus venisset ad Regem; vertens se ad eum, quasi salutans eum, securim fulgentem in altum levavit, & caput Regis uno ictu amputavit. Perpetrato autem tanto scelere statim insulam diviserunt inter se. Paucis diebus transactis, congregata classe transfretaverunt ad Galwediam, volentes sibi subjugare. Galwedienses autem conglobati & magno impetu facto, congressi sunt cum eis. Illi statim terga vertentes, fugerunt cum magnâ confusione ad Manniam, omnesque Galwedienses, qui in eâ habitabant, quosdam jugulaverunt, alios expulerunt.*

Olavus Rex occiditur.

Anno 1143. *Godredus filius Olavi ex Norwegia rediens fit Rex Manniæ, & in ultionem patris duobus Haraldi filiis oculos eruit, & tertium occidit.*

Godredus eius nominis terrius è Norwegia rediens patris necem ulciscitur.

Godredus cœpit regnare, & 30. annis regnavit. Tertio regni anno Dublinenses eum acerserunt, & regem Dubliniæ eum constituerunt, in quem Murecardus rex Hiberniæ bellum movit, & fixis tentoriis apud civitatem, quæ dicitur Coridelis, *fratrem uterinum* Osibelem *cum* 3000. *equitum ad Dubliniam misit, qui à Godredo & Dublinensibus interfe-*

ctus

ctus erat, ceteris omnibus fugatis. His actis, Godredus ad Manniam revertitur, & tyrannidem exercere cœpit & nobiles exhæredavit, quorum unus Thorfinus filius Other, ceteris potentior accessit ad Sumerledum. & Dubgallum Sumerledi filium Regem insularum dixit, subjugans illi multas insulas. Cum hæc à Paulo quodam Godredus intellexisset, parata classe procedit obviam Sumerledo venienti cum 80 *navibus.*

Et anno 1156. *commissum est bellum navale in nocte Epiphaniæ; & multis utrimque cæsis, proximo die pacificati sunt, & diviserunt inter se regnum insularum, factumque est regnum bipartitum à die illa in præsens tempus. Et hæc fuit causa ruinæ regni insularum, ex quo filii Sumerledi occupaverunt illud.*

Godredus Norwegiam iterũ petit.

1158. *Sumerledus venit ad Manniam cum* 53. *navibus, & Godredum fugavit, insulam vastavit. Godredus verò transfretavit ad Norwegiam, quæsitum auxilium adversus Sumerledum.*

Anno 1164. *Sumerledus collegit classem centum sexaginta navium, & applicuit apud* Rhinfrin, *volens totam* Scotiam *sibi subjugare: sed ultione divinâ à paucis superatus, cum filio suo & innumerabili populo ibidem cæsus est.*

Eodem anno bellum fuit apud Ramsa, *in-*

ter

ter Reginaldum fratrem Godredi & Mannenses, & per dolum cujusdam Comitis Mannensis in fugam conversi sunt,

Et Reginaldus cœpit regnare, Quarto autem die supervenit Godredus è Norwegia cum magna multitudine armatorum, & fratrem suum Reginaldum comprehendit, & oculis & genitalibus privavit. Godredus cum auxiliaribus copiis redit è Norwegia.

Eodem anno obiit Malcolmus rex Scotiæ, & frater ejus Wilhelmus ei successit in regnum.

Anno 1171. *Richardus Comes Penbrochiæ transfretavit in Hiberniam, & Dubliniam cum magna parte Hiberniæ subjugavit.*

Anno 1176. *Johannes de* Curcy *sibi subjugavit Ultoniam. & Vivianus Apostolicæ sedis legatus venit in Manniam, Godredumque regem legitime desponsari fecit cum uxore suâ Phingola filia* Macloten *filii* Murkaitac *Regis Hiberniæ, matre videlicet Olavi, qui tunc triennis erat: Desponsavit eos Silvanus Abbas, cui ipsa die Godredus dedit partem terræ apud* Mirescoge, *ubi monasterium construxit; sed tandem concessa est terra cum monachis Abbatiæ de* Russin.

Anno 1172. *Reginaldus filius Eacmarcat, vir de regali genere, in Manniam veniens cum magna turba hominum absente rege, primo congressu quosdam qui littora custodiebant fugavit.*

fugavit. & circiter 30 occidit. Postea eadem die congregati Mannenses ipsum cum omnibvs pene suis occiderunt.

Anno 1183. O Fogolt *vicecomes de Mannia.*

Anno 1185. *Ecclipsis Solis die Philippi & Jacobi.*

Anno 1187. *Obiit Godredus Rex insularum 4. Idus Novembris proxima verò æstate translatum est corpus ad insulam* Hy. *Reliquit tres filios Reginaldum, Olavum & Yvarum, dum vixit. Olavum filium hæredem, constituit, quod solus ille legitime natus esset. Sed Mannenses quum Olavus esset jam vix decennis Reginaldum ex insulis accersunt & Regem constituunt.*

Godredus 111. moritur.

Reginaldus filius succedit.

1178. *Reginaldus filius Godredi incepit regnare super insulas, & occisus est Murchardus vir potens in omni regno insularum.*

Anno 1192. *commissum est bellum inter Sumerledi filios Reginaldum & Engus. Sed Engus victoriam obtinuit.*

Eodem anno Abbatia de Russin *translata est ad* Dufglas *& post 4. annos monachi ad* Russin *reversi sunt.*

1203. *Michael episcopus insularum obiit od* Fontanas, *cui successit Nicolaus.*

1204. *Hugo de* Lacy *venit cum exercitu in Vltoniam, & commisit bellum cum Johanne de*

de Curcy, *eumque comprehendit. & Vltoniam sibi subjugavit. Postea Johannem liberum ire permisit: qui venit ad Regem Reginaldum à quo honorificè susceptus est, quia ejus gener erat. Johannes siquidem de* Curcy *habuit in uxorem Affricam filiam Godredi, quæ fundavit Abbatiam S.* Mariæ de jugo *Domini, & ibidem sepulta est.*

1205. *Johannes de* Curcy, *& Reginaldus rex insularum cum* 100. *navibus Vltoniam ingressi in portu, qui vocatur* Stranfeod *segniter obsederunt castellum de* Rath: *Sed Valterus de* Lacy, *superveniens cum exercitu, eos fugavit; dehinc Curcy terram suam nunquam recuperavit.*

Anno 1210. *Engus filius Sumerledi cum tribus filiis suis occisus est.*

Johannes Rex Angliæ tum classem 500. *navium ad Hiberniam adduxit, eamque sibi subjugavit, & mittens Comitem quendam, qui nomine Fulco, ad Manniam, eam in una quindena fere omnino devastarunt, & suscipientes obsides ex ea in patriam reversi sunt. Reginaldus Rex, & optimates non erant in Mannia.*

Post quæ, paucis interjectis, addit aperitque causam, ob quam à Mannensibus solio suo dejectus sit Reginaldus, & ejus frater Olavus, cui ut legitime nato sceptrũ

Manniæ pater moriens detulerat, à Mannensibus in locum Reginaldi sit constitutus. ità enim habet:

Mannenses Olaum Reginaldi fratrem Regem sibi creāt, rejecto Reginaldo.

Post modicum temporis Reginaldus sub occasione eundi ad Curiam domini Regis Angliæ accepit à populo Manniæ centum Marcas, & profectus est ad Curiam Alani domini Galwediæ. Eodem tempore dedit filiam suam filio Alani in matrimonium. Quod audientes Mannenses indignati sunt valde, & mittentes propter Olaum, constituerunt eum sibi Regem.

Hinc continuè sequitur:

Anno 1226. *recuperavit Olavus hæreditatem suam, regnum videlicet Manniæ, & insularum, quod Reginaldus frater ejus gubernaverat* XXXVIII. *annos, & regnavit securè duobus annis.*

Reginaldus ad recuperandam Manniam pergit.

Anno 1228. *Olavus cum omnibus optimatibus Manniæ & fortiori parte populi transfretavit ad insulas. Paulò post Alanus dominus Galvediæ, & Thomas Comes Etholiæ, & Reginaldus rex venerunt ad Manniam cum magno exercitu, totam australem partem Manniæ vastaverunt, & ecclesias spoliarunt, & viros quotquot capere potuerunt, occiderunt, & redacta est australis pars Manniæ fere in solitudinem.*

Et per hæc reversus est *Alanus cum exer-*

citu suo in terram suam, & reliquit Ballivos suos in Mannia, qui redderent ei tributa patriæ. Supervenit autem Olavus Rex & fugavit eos, & recepit regnum suum. Et cœperunt Mannenses, qui antea circumquaque dispersi fuerant congregari, & confidenter habitare. Opponit se Olavus.

Eodem anno inopinatò intempestâ nocte, hiemali tempore venit Reginaldus Rex è Galwedia cum quinque navibus, & combussit omnes naves Olavi fratris, & optimatum Manniæ apud insulam S. Patricii, pacemque petens à fratre suo, mansit apud portum Ragnolewath *quadraginta diebus; interim attraxit sibi omnes insulanos in australi parte Manniæ, qui juraverunt se animas in mortem posituros, donec dimidium regni sortiretur: contra Olavus Aquilonares sibi adjunxit, & 14 Februar. apud locum, qui dicitur* Tingvalla *commissum est inter fratris prælium, in quo Olavus vicit, & Reginaldus Rex à quibusdam interfectus est ibidem, nesciente fratre. Et venientes prædones ad australem partem Manniæ, vastarunt eam. Monachi de* Russim *transtulerunt corpus Reginaldi Regis ad abbatiam S. Mariæ de Fournes, ibique sepultum est in loco quẽ ipse sibi elegerat. Post hæc Olavus adiit Regem Norwegiæ, sed antequã illuc perveniret Haco Rex Norwegiæ quendã nobilem nomine* Reginaldus occumbit. Olavus adit Regem Norwegiæ.

 Husbac,

Husbac, filium Owmundi regem insularum Soderensium constituit, vocavitque nomen ejus Haconem. Venit autem idem Haco cum Olavo & Godredo Don filio Reginaldi, & multis Norwegiensibus ad insulas, & dum expugnarent castellum in insulâ Both, *Haco lapide percussus interiit, & in Jona sepelitur.*

Olavus redit è Norwegia. *Anno* 1230. *venit Olavus cum Godredo* Don, & Norwegiensibus *ad Manniam, diviseruntque inter se regnum; Olavus Manniam obtinuit, Godredus ad insulas profectus in Lothus insulâ occisus est, & Olavus regnum insularum obtinuit.*

Olavi Regis Manniæ obitus. 1237. 12. *Cal. Junii. Obiit Olavus Godredi filius Rex Manniæ in insulâ S. Patricii, & sepultus est in Abbatia de Russin. Regnavit undecim annos, duos vivente fratre, & novem post mortem ejus.*

Haraldus patri succedit. *Haraldus filius successit, ætatis* 14. *annorum & regnavit* 12. *annis. Anno regni primo profectus ad insulas, & Loglenum consanguineum custodem Manniæ constituit. Sequenti autumno misit Haraldus tres filios* Nel, *nimirum Dufgaldum, Thorquellum, Molmore, & amicum suum Joseph ad Manniam, ut consilium inirent: Igitur vicesimâ quintâ die conveniunt, apud* Tinguallia, *& oborta invidia inter filios* Nel, *& Loglenum, pugnatum est utrimque acriter, interfectis ididem Dufgaldo, Mormore,*

Mormore, & prædicto Josepho. Vere sequenti Haraldus Rex venit ad insulam Manniam, & Loglenus in Walliam fugiens, cum Godredo Olavi filio, alumno suo, & 40 aliis Naufragio perierunt.

Anno 1238. Gospatricius, & Gillescrist filius Mackerthac *venerunt à Rege Norwegiæ in Manniam, qui Haraldum ex Mannia excluserunt, & tributa ad opus regis Norwegiæ capientes, quod curiam regis Norwegiæ adire recusavit.* Haraldus Manniâ exclusus, quod Regem Norwegiæ non agnoverit.

Anno 1239. Haraldus Regem Norwegiæ adivit, qui post biennium confirmavit illi, & successoribus suis hæredibus sub sigillo omnes insulas, quas antecessores possederant. Haraldus Regem Norwegiæ adit.

Anno 1240. Gospatricius obiit, & in abbatia de Russin sepelitur.

Anno 1242. Haraldus rediit ex Norwegia ad Manniam, & ab incolis honorifice susceptus, pacem habuit cum Regibus Angliæ & Scotiæ. Redit è Norwegia & Manniam possidet.

Anno 1247. Haraldus, uti etiam & pater, factus est miles à Rege Angliæ,, & multis muneribus donatus, venit ad propria.

Eodem anno accersitus fuit à Rege Norwegiæ, & duxit ejus filiam. Et anno 1248. dum reverteretur cum uxore, Laurentio Manniæ electo, & multis nobilibus prope fines Redlandiæ, orta tempestate, submersus est. Ducit Regis Norwegiæ filiam. Rediens è Norwegiâ submergitur.

G 3 1249.

Reginaldus Haraldi frater regnat.

1249. *Reginaldus Olavi filius, frater Haraldi cœpit regnare pridie nonas Maij, & tricesimâ die ejusdem occisus est ab Yvaro milite, & à suis in prato prope ecclesiam S. Trinitatis ad australem partem, sepultusque est in ecclesia S. Mariæ de* Russin.

Occiditur.

Eo tempore Alexander Rex coadunavit multas naves, ut sibi subjiceret insulas, & in insulâ Kerwaray, *febre correptus moritur.*

Haraldus filius Godredi Don Rex succedit.

Haraldus filius Godredi Don *regis nomen in insulis usurpavit, omnes principes Haraldi Regis Olavi filii exules fecit, & profugos ejus principes & optimates pro eis constituit.*

Anno 1250. *Haraldus filius Godredi*Don, *vocatus per literas adiit Regem Norwegiæ, qui detinuit illum in carcere, quod regnum injustè occupaßet. Eodem anno applicuerunt apud* Roghelwaht *Magnus Olavi filius, & Johannes filius Dagaldi, qui Regem se nominabat, sed Mannenses ægre ferentes quod Magnus non nominaretur, repulerunt eos à littore suo, quorum multi naufragio perierunt.*

Veniens ad Regem Norwegiæ incarceratur.

Anno 1252. *venit Magnus Olavi filius ad Manniam, & constitutus est Rex: sequenti anno profectus est ad Regem Norwegiæ & mansit ibi per annum.*

Magnus Olaxi filius fit Rex.

Anno 1254. *Haco Rex Norwegiæ constituit Magnum filium Olavi Regem insularum*

larum & confirmavit eas sibi, hæredibus suis, & nominatim Haraldo fratri ejus. confirmatur à Rege Norwegiæ Haquino.

Anno 1256. Magnus Rex Manniæ profectus in Angliam, fit miles ab Rege Angliæ.

4257. Ecclesia S. Mariæ de Russin, *dedicata est à Richardo Soderensi.*

Anno 1260. Haco Rex Norwegiæ venit ad partes Scotiæ, & nihil expediens, versus ad Orcades ibi apud Kirckwas moritur & sepultus est Bergæ. Haquinus Rex Norwegiæ moritur apud Orcadenses.

Anno 1265. obiit Magnus, filius Olavi, Rex Manniæ & insularum apud castellum de Russin, *& sepultus in ecclesiâ S. Mariæ de* Russin.

1266. Translatum est regnum insularum propter Alexandrum Regem Scotorum.

Inde eodem hoc Capite 30. lib. 2. hæc habet Seldenus: *Neque enim sui juris erat Rex Monæ. Sed subjugatus, solemni fidei professione præstitâ (quam homagium vocant) in clientelam Angliæ regis concessit.* Concessisse jam diximus devictum à Rege Johanne Reginaldum insulæ regulum; sed eundem vicissim à Mannensibus ob id rejectum, & in locum ejus assumptum fratrem ejus Olavum, qui præstitâ deinde homagii fide Norvagorum Regi, insulam ab eo, ut fiduciarius, tenuit, ut & liberi deinceps posterique ejus quod ex ante memoratis

quoque ipſoque quod poſuimus, chronicio patuiſſe jã pro parte puto. Et ſtatim quòd ſequitur ibidem in verbis Seldeni: *Ceterum & Scotorum imperio paulo poſt adjecit eam Alexander III. Scotiæ Rex præfectumque impoſuit, qui quoties opus eſſet cum tredecim triremibus ac quingentis claſſiariis ſubſidio ei foret. Hebridas item, pulſis Norvagis, recuperavit & ad poſteros transmiſit.* At hîc quod addendum erat id eſt, primò non impoſitũ ab Alexandro Mannenſibus præfectum, ſed Regulum, qui antea Norvavagum reſpexerat, Regi Scotorum Alexandro homagium, quod vocant, feciſſe; Ac inde quod alterum erat, ubi eam clientum ſuorum inclinationem ſecuturas videret reliquas inſulas Rex Norvagorum Magnus, Haquini filius, de pace legatos miſiſſe: quam cum Alexander, niſi receptis Ebudis ſive Hebridibus, recuſaret, tandem pacificatoribus ultro citroque commeantibus, convenit, ut Scotus, exceptis Hetlandia & Orcadibus, Ebudas teneret: in præſentia verò vel, ut alii, diverſis vicibus 4000. marcarum argenti; in ſingulos autem annos centum marcas numeraret: Præterea ut Margareta *Alexandri* filia quatuor annorũ puella, cum per ætatem commodũ eſſet, Haquino Magni filio ex Ingeburgâ,
divi

divi *Erici* Danorum Regis filia suscepto, nuberet. Quæ tractatio Perthi celebrata resumptaque est postmodum ab *Haquino* ejus nominis quarto Norvagiæ Rege, & confirmata Iverneissæ in Scotiâ, præsente *Roberto* rege, ejusque senatu, nec non *Haquini* regis legatis *Biornone* à Brikerò & *Ivaro* Nicolai Bergensium Canonicis: Qui pactis conventis non staret, is ecclesiæ Apostolicæ censuræ atque excommunicationi obnoxius haberetur, ac simul mulctam incurreret decem millium librarum Sterlingicarum. Subscripserant huic chirographo unà cum rege Scotorum suaque sigilla impresserant *Gamelus* divi Andreæ, *Johannes* Glasnuensis episcopi, *Alexander* Curius à Ruchon, Præpositus Dombariensis, *Gulielmus* à Mehr, *Adamus* à Corck, Comites; itemque *Robertus* à Menis, Baro. Ac postmodum cum jam Norvagia Daniæ esset annexa, tertio repetitus hic idem tractatus est sub *Erico* Pomerano, Daniæ Rege, per legatos præsertim Scotorum Regis *Jacobi*, ejus nominis primi, quod alibi relatum est ad an. 1426.

Vide Hist. Danicam lib. 7. ad an. 1262.

Historiæ Danicæ lib. 9.

Quod deinde ibidem, *in aperti hujus & immensi Oceani Hibernici parte occidentaliore aliud esse Regis Magnæ Britanniæ jus, idque latissime & per Americanum littus porrectum.*

Seldenus memoret, id eatenus accipiam, quatenus natura patitur, ut vastum mare, ac omnibus patens, leges sibi ac compedes, ut sic dicam, imponi sinat. Concedam interim in littore, licet exotico & ab Hibernià Angliàque usque adeo ac tot parasangis remoto, modò vis major præsidiumq; adsit, quod velis, fortasse obtineas; at iis cessantibus cessare etiam jus omne, alterique validiori, id quidquid est cedere. De quo superius etiam Capite 14. ex verbis & responso Reginæ Elizabethæ, quod illa Hispanico olim legato, res à Draco in Indico Oceano acquisitas repetenti, reddi fecit, prolixius est dictum, jus scilicet in vastum oceanum neque populo cuipiam neque privato competere, cum nec naturæ, nec usus publici ratio occupationem permittat: Sed verba ipsa, ac cetera eodem spectantia, videnda superius loco jam dicto,

CAPUT

CAPUT XVIII.

Sanctio Parlementaria de Mari Hibernico, quam adducit Seldenus, verbotenus posita, ac demonstratum de eodem mari aliud referri in Annalibus Gulielmi Camdeni.

EOdem præterea Capite trigesimo, hæc habet Seldenus: *Temere nimis Elizabethæ Reginæ legatis excidit in dissertatione cum legatis Danicis de liberâ navigatione & piscatione in Mari Norvagico Bremæ habita anno Christi 1602:* Reges Angliæ navigationem & piscationem in mari Hibernico inter Angliam & Hiberniam nunquam prohibuisse; *ac si inde probari voluissent, nec piscationem nec navigationem inter Islandiam & Norvegiam à Dano prohibendam, quoniam neutri maris Domini, sed pari jure littora tantum utrimque possedissent.* hucusque Seldenus; adjiciens inde, *sanctione parlementariâ diserte fuiße cautum, ne quis exterus in mari Hibernico piscaretur, nisi impetrata prius à prorege aliove Regis Angliæ legato, seu magistratu ad hanc rem legitimo veniâ.* Sed hujus sanctionis annum non addit, tantum Lib. 2. verba

verba edicti vernaculè recitat; ultimo & hoc adjiciens; *Certe & edicto vetuit Jacobus Magnæ Britanniæ Rex, ne quis exterus, non impetratâ veniâ, in mari hoc Hibernico piscaretur.* Ex quibus colligas concludasque prius edictum longo usu aut temporis præscriptione fortasse antiquatum, cum præsertim illius Elisabethæ Reginæ legati memoriam aut notitiam habuisse non videantur: aut si eodem aut circiter tempore cum altero hoc, quod est Jacobi Regis, promulgatum postliminio sit, ad causam hanc non admodum spectet, cum Regi cuique suo in regno edicta promulgandi potestas semper fuerit. Verum operæ pretium judico totam eam dissertationem legatorum Reginæ Elisabethæ, per id tempus cum Danorum Regis Christiani IV. legatis Bremæ habitam, hîc proximè subjicere, præsertim cum idem Seldenus, præter superius posita, alia insuper in eâdem non minus quam priora haud quaquã probare videatur: Et tota denique veluti apologia sit adversus ista, quæ ab eo tractantur sparsim disputanturque. Est autem ista:

Extat in historia Anglica Cambdeni ad an. 1602.

Profectionem Episcopi Londinensis Christophori Perkinsii, & Joh. Suali LL. doctorum, quos Embdam anno M D C. Regina legaverat, ut cum Daniæ delegatis tractarent, frustra cessisse

cessisse diximus. Nunc denuo iisdem de rebus Bremam missi sunt à Regina, Radulphus Baro Everus, Johannes Herbertus Secretarius Secundarius; Daniel Dunus Legum doctor à supplicum libellis, & Stephanus Leisieurus Assistens adjunctus: A Dano, Manderopius Pasbergius, Arnoldus Witfeldius Regni Cancellarius & Jonas Charisius Legum doctor. Angli conquesti sunt: liberam in Moscoviam per septentrionalem oceanum navigationem atque piscationem ad littora & insulas eisdem negari; atque vectigalia multiplicia in freto Oresunda, idque tantum pro transitu exigi, postularunt, ut fœdera inter Henricum Septimum Angliæ & Johannem Regem Daniæ anno 1490, & inter Henricum octavum & Christiernum 2 anno 1523. recognoscerentur, & his temporibus accommodarentur, multiplex illa ac incerta novorum vectigalium exactio tolleretur, aut minueretur: & certa in tabulis cum certâ confiscationis ratione præscriberetur, naves in freto non justo diutius detinerentur, querelæ privatorum componerentur, & bellicus apparatus in Hispaniam non subveheretur. Hinc inter eos disceptatum est; an principibus contra antiqua fœdera vectigalia pro arbitrio augere liceat. An hoc non sit contra æquitatem, etiamsi usitatum, cum consuetudo veritati & æquitati familiari debeat.

An

An, quæ gravissimo consilio constituta & aliquandiu utrimque tolerata, sine juris regii injuriâ abrogari poßent. An liberum non sit Anglis, in Oceano septentrionali & in ejus insulis & littoribus piscari, & per eundem in Moscoviam circumnavigare, cum MARE *sit* LIBERUM *omnibus, principes non habeant ejusmodi in mare dominium ut navigantibus ejusdem usum non minus quam aeris prohibeant, juxta illud Antonini Imperatoris: Ego quidem totius terræ dominus, Lex autem Maris. An non igitur sit contra jus gentium ejusmodi dominium in mari usurpare, cum principes non habeant jurisdictionem, nisi in mari territoriis suis propius adjacente, idque ut navigationes sint tutæ à piratis & hostibus & Reges Angliæ navigationem & piscationem in Mari Hibernico inter Angliam & Hiberniam nunquam prohibuerint, etsi littorum utrimque domini existant, non minus quam Danus Norvegiæ & Islandiæ, qui non alio nomine hoc jus sibi vendicat. Sin pro transitu ab Anglis vectigalia exigenda, Reginam itidem posse à Danis ad dominia, regna & insulas suas adnavigantibus non minora exigere.*

Ecce mare vult clausum esse nec liberum aut omnibus commune Seldenus; Anglici legati serenissimæ Reginæ Elisabethæ id esse liberum ac omnibus communi

mune;littora tantum dominii esse capacia, asseverant. Sic idem Hibernicum mare exteris esse prohibitum; nec adiri, inque eo piscari, nisi impetratâ veniâ, licitum scribit, cum Anglici iidem legati nihil hujus meminerint; dicantque Angliæ Reges navigationem & piscationem in mari Hibernico inter Angliam & Hiberniam haud unquam prohibuisse. Si haud unquam prohibuerunt, quo spectabit igitur sanctio parlementaria;cujus injecta superius mentio? aut eam non esse talem aut desuetudine longâ obliteratam dicendum, ac postmodò statutam resumptamque, defunctâ jam Reginâ: cujusmodi est Edictum, de quo continuo injicitur, *Jacobi* Regis, ad causam hanc,ut est jam modò quoque memoratum, non adeò faciens: cum principum cuique, ut est ostensum, suis in ditionibus edicta antiquata vel resumere vel nova condere, perpetuo integrum fuerit.

In verbis autem & oratione eorundem legatorum,quod de Islandiæ & Norvegiæ littoribus dicitur, notandum Ordericum & illos infimæ vetustatis authores solis Norvegiæ Regibus maris etiam istius Hyperborei dominium asserere, quod verbis eorum Capite insequenti fiet clarius.

CAPUT

CAPUT XIX.

Norvagos eße indigenas, non, ut eos appellat Seldenus, exteros insularum in Scotico mari inhabitatores. Norvegorum insuper ex Orderico Vitali in mari eodem dominium; aliaque aliunde demonstrata.

SEquitur hinc apud Seldenum Caput libri secundi trigesimum primum: in quo, præter alia, ista legas: *Hæc scripsit ill* (Giraldus Cambrensis) *sub Henrico* II. *ad eo ut interdum appendices illæ regni Britanni arum marinæ, Septentrionalibus in oris, ab ex teris invaderentur*; Ab exteris ait, Norvagi scilicet & Danis, sui & verborum, quæ pau lo ante ibidem præmiserat, minus nemo istorum nimirum: *Septentrionalius autem quod Scotiæ objacet, Mare Norvegis & Da nis, insularum ibi Dominis, olim ferme par bat. Unde & Gothicè Orcadum incolæ etiam num loquuntur.* Ecce Seldene clarissime cum ex tuâ ipsius confessione insularum arum Domini Dani olim Norvegique fu rint, quomodo eos, ut exteros, accusas qui eas interdum (ità loqueris) ut *appe di*

dices regni Britannici invaserunt? Et magis
cum idioma eorum, quod addis, Gothi-
cum, id est, ut loqui debueras; Norvegi-
cum fuerit? Quod enim esse certius indi-
cium indigenæ non exteræ gentis potest,
ibi de soli ac sali, ut sic dicam, dominio
certamen & controversia est, quam gen-
tis loquela vernacula ac sermo? Is si An-
glicus aut Britannicus, vel eo accedens, de-
prehensus hîc fuisset, momentum non le-
ve attulisses. At modò Gothicè, id est,
Norvegice non Britannice loqui, ipsemet
passus, tamen exteros, tui parum memor,
eos appellas. Sed & ipsa Giraldi verba,
quæ respicis; imo & ponis eodem hoc Ca-
pite, num id, quod vis, dicunt, *interdum*
scilicet, *invasas eas à Norvegis insulas*; id-
que ut *appendices regni Britanniarum mari-
us*? Nequaquam sane. Ità enim disertè
habent Giraldi verba Topograph. Hiber-
niæ Dist. 2. cap. 11: *In Oceano boreali trans
Ultoniam & Galwediam sunt insulæ variæ,
scilicet Orcades & aliæ multæ, quarum fere
omnium dominium & subjectionem Norwe-
gienses obtinuerunt. Licet enim aliis regioni-
bus longe propinquius adjaceant, gens tamen
ea magis scrutatrix Oceani præ omni genere
piraticam vitam ducere solet. Unde & omnes
eorum expeditiones & bella navali certamine*
H *fiunt.*

fiunt. Quæ ſane ejuſmodi ſunt, quæ Seldeni non modò verba penitus rejiciant, & alium ab eo allatum eorum ſenſum demonſtrent; ſed & hoc quoque, manifeſtum reddant, quod ſibi & ſuis dari hîc maris dominium ſatagit, iis ipſis in univerſum negari, dum oceani hujus ſcrutatricem gentem Norvegos Giraldus vocet; & id, ut adjicit, præ ceteris omnibus. Nec *ſcrutatricem* tantum, ſed & *dominatricem* intelligit, cum dicat, ut poſuimus, *Orcadum & earum fere inſularum omnium dominium & ſubjectionem Norwegienſes obtinuiße*.

Eccleſiaſ. Hiſtor. lib. 10. Hinc Orderici Vitalis de Magno, Norwegorum Rege, verba advocat, quibus oſtenditur, ut ipſa ejus verba habent, *magnam potentiam in inſulis Oceani habuiße eum*, addito, eundem deinde Vitalem hæc præterea memorare: *Orcades & Finlandia, Iſlandia quoque & Groenlandia, ultra quam ad ſeptentrionem terra non reperitur, aliaque plures uſque in Gotlandiam Regi Noricorum* (ita Norwegos nuncupat) *ſubjiciuntur, & de toto orbe divitiæ navigiis illo advehuntur*. Quæ ſane iterum ejuſmodi ſunt, ex quibus nullum Regibus magnæ Britanniæ in mari hoc vaſto ſive id Orientale ſive boreale ſit, dominium fuiſſe demonſtretur, ſed ejus non modò maris dominatum

minatum Norwegis eorumque Regibus tribui, verùm ulterius insuper eorundem Norwegorum potentiam ac navigationes expandi; dum addit, *de toto eos orbe divitias anquirere* domumque reportare classibus. Quod nec diffiteri Seldenus potest, qui eadem ex Orderico Vitali adduxit. Et paulo ante ex Chronico Roberti de Monte, qui floruit circa annum 1210, quique Chronicon Sigiberti continuavit, verba quoque ejus ad an. 1167. haud quaquam præteriens Seldenus idem diligentissimus, ista posuerat: *insulas eo in mari (hyperboreo)* XXXII. *tenuit ante annos* CCCCLX. *Rex insularum dictus, tali tributo de Rege Norwegiæ, quod quando Rex Norwegiæ innovatur, Rex insularum dat ei decem Marcas auri, nec aliquid facit ei in totâ vitâ sua, nisi iterum alius Rex ordinetur in Norwegiâ.* Quod egreginm antiquitatis monumentum satis quoque superque demonstrat veterum Norwegiæ Regum jus ac consuetudinem, quâ illis perpetuò obnoxii devotique insulani isti insulæque fuerint. Nam ab anno 1167. si retro computemus, annosque circiter quadringentos sexaginta subducamus, nonne annũ habebimus septingentesimum & qui excurrit, de quo ista Robertus memorat? Tum scilicet

licet haud aliis quàm Norwegiæ Regibus paruisse has insulas, ac eos, ut dominos agnovisse; dum auri scilicet marcas decem, quotiescunque Rex novus apud Norvegos inaugurearetur, homagii, quod dicitur, ac fidei clientelaris nomine dependerent? Hinc addens continuo: *Postmodum verò cum inter Alexandrum Scotiæ Regem tertium, & Magnum Norwegiæ, quartum, uti & inter Robertum Brusium Regem Scotiæ & Haquinum Norwegiæ pacta inita erant de his insulis, ut ad Scotorum imperium pertinerent; fieri nequivit, quin dominii maritimi, quod circumvicinum Norwego heic fuit, simul cessio accederet*, involvere conatur & obscurare, quod evolutum superius cap. XVI. & cunctis clarè ob oculos positum dedimus, id nimirum pacti inter Alexandrum Scotiæ Regem, ejus nominis tertium, Magnumque Norwegiæ, non de omnibus borei hujus maris insulis fuisse initum, sed de Hebridibus sive Ebudis tantum, Hetlandiâ cum Orcadum insulis exceptâ: nec eas præterea simplice vice Alexandro tum traditas, sed eâ lege, ut Regem Norwagorum recognoscens Scotus certam æris summam, quæ superius est expressa, semel numeraret; atque inde quotannis aliam, quæ ibi quoque memoratur: Et essent postremò

Cap. 16.

inter

inter Magni filium Haquinum, ac filiam Alexandri Margaretam, ubi ad nubiles ea annos pervenisset, nuptiæ. de quibus suo etiam loco à nobis memoratum est. His eum in modum explicatis, evanida jam esse concidereque liquet, quæ inducere heic Seldenus studet, quasi fieri nequeat, quin dominii maritimi, quod circumvicinum Norwego hic fuit, simul cessio accesserit. Nam cùm nihil ejusmodi fuerit, quod ex allatis jam patuit, & ipsemet Seldenus satis agnoscere videatur, ideo conjecturis solis ac dubiis se verbis muniens insistensque addit postremò, hæcque sic claudit, inquiens: *Possidebat tamen plerumque Norwegus; & postea junctis Norwegiæ & Daniæ regnis, Danus; usque dum Christianus primus Norwegiæ & Daniæ Rex, cum Margaretam filiam in uxorem traderet Jacobo tertio Scotiæ Regi, insulis hisce prorsus renunciaverit, jusque suum omne tum in Orcadibus tum in Hetlandicis insulis ceterisque citerioris partis maris Hyperborei in generum ac successores circa annum salutis 1470. (sive verius 1468.) transtulerit.* Ex quibus sat liquet, jus ditionemque maritimam hîc omnem harum insularum marisque hujus penes Danum hucusque stetisse. Quod verò additur, occasione nuptiarum, quæ cum Rege

Scotorum Jacobo III, ac filiâ Christierni I, Danorum Regis, Margaretâ sunt initæ, omne jus non Orcadum modò, sed & ceterarum citerioris partis hyperborei maris insularum, in Scotum à Christierno exinde esse translatum, ea longius ire, largiusque, vel potius implicatius, prolata quis non videat, cum iis sub verbis ea intelligi, quæ eo non spectent, facillime queant? Quo igitur clarior res sit, omnibusque constet, quid Scoto iis in nuptiis tributum, Danusque sibi servarit, ipsas nuptiales tabulas in testimonium advocabo, modò altius nonnihil ex ipsâ historiâ, quæ in schedis adhuc Ms. tenetur, singula prius repetiero, quæ ità se habent:

Mense vero Aprili anni ejusdem (1468) *literas ad Regem Scotorum Jacobum, ejus nominis tertium misit* (*Rex Christiernus*) *efflagitans identidem, ut ex annuis reditibus insularum Sudoræ & Mannoræ, quod juxta contractum, qui eâ de re inter reges olim Norvegiæ ac Scotiæ, Magnum atque Alexandrum, fuerat initus, debebatur, sibi more consueto redderetur: simulque declarans, nihil antiquius esse sibi, quàm amicitiam & pacem cùm vicinis ac Rege præsertim Scotorum colere, teneri interea sacramenti, quod præstiterat, vi, jus ac dignitatem veteraque privilegia ac fœdera*

fœdera Regni sui Norvagici conservare ac tueri: iterum iterumque eundem Scotorum Regem commonens, ut, quod ipsi regnove ejus solvendum restaret, id dependeret, quò ità pax tranquillitasque sarta utrimq; ac tecta haberetur: nec se, modò id absque detrimento iuris ac prærogativarum regni jam dicti, possit fieri, ullo pacto defuturum officio.

Quibus responderi Rex Scotorum curavit, se, postquam ab obitu parentis sui laudatissimæ memoriæ regni gubernationi esset admotus, omnino ac serio propositum habuisse sibi, amicitiam ac pacem cum vicinis dynastis ac Regibus colere, & maxime cum Rege Danorum Christierno: præsertim cum utriusque regna ac ditiones adeò invicem contermina essent, ut subditi singulorum quotidianis inter se gaudeant commerciis. Quod verò pensionem eam attineret, cujus in literis mentio fieret, ejus se nullam, utpote ætate adhuc minorem, nec rerum, quæ ad regnum pertinerent, satis gnarum, habere notitiam declarabat, & maxime cum ea nec parentis sui, nec avi temporibus depensa fuissent. Se itaque primâ occasione statuisse in Daniam legatos suos mittere, & per eos cum ipso, tam eâ de re, quàm de aliis quoque, ad pacem ac concordiam utrimque spectantibus, propius agere. amiceque idcirco petere, vellet id ratum gratumque habere, ac signifi-

care, tempuſque ſtatuere quando potiſſimum ipſi integrum foret, ejuſmodi cum legatis ſuis negotium auſpicari.

Rex Chriſtianus reddito reſponſo, ſignificabat, ſibi peracceptum fuiſſe, intelligere, non minori ipſum quam ſe cum omnibus Chriſtianis, & præſertim vicinis principibus, colendæ pacis teneri deſiderio: & ideo præfiniviſſe, ut ad feſtum divi Iacobi Haffniæ legati ejus præſto adeſſent.

His acceptis, Rex Jacobus ex ordine tam ſacro quam equeſtri ac prophano legatos in Daniam deſtinat. Princeps autem univerſæ legationis habebatur Andreas Stuartus Regis Cancellarius. Ac mox dicto tempore poſtquam Haffniam acceſſiſſent, ſubſiſtere nonnihil, abſente apud Suecos Rege, atque expectare adventum ejus tenebantur. Interea ex Regni utriuſque, tam Daniæ quam Norvagiæ ſenatu, nominati, quibus in anteceſſum cum eis conferre atque animum eorum tentare in mandatis fuit. Scoti id præcipuum in medium adducebant, nihil ex commodo utriuſque Regis ac regni magis fore, quam ſi pax utrimque perpetua, &, quæ ejus, quaſi vinculum foret, ſi nuptiæ ſimul inter ſereniſſimum ſuum Regem Iacobum & filiam unicam Chriſtiani Regis Margaretam inſtituerentur. atque ut eo pacto, quæ petebatur, annua ac tot anno-

rum

rum residua pensio, quæ hucusque cladium haud exiguarum occasionem præbuisset, pro parte dotis, quæ sponsæ erat assignanda, remitteretur, &c.

Rex igitur Christianus, ubi in regnum mox rediisset, haud multò post, re cum senatu, qui aderat, Norvagici regni, propius perpensâ, agi permisit de pactis utrimque dotalibus in modum fere ut sequitur:

Quo in posterum vetus controversia de Orcadibus ac Soderensibus insulis, magnis utriusque populi cladibus agitata, tollatur; & amicitia inter regna ac subditos utrimque sit firmior, cedit ac transfert Rex Christianus in Regem Scotiæ Jacobum ac filiam suam Margaretam, eorumque hæredes ac liberos, annuas eas pensiones, quæ insularum earum nomine debentur, loco dotalis portiunculæ. Eruntque pacta omnia, quæ eâ de re facta aliàs essent, nullius exinde momenti ac ponderis. Et super hæc, in dotem ei Rex cedit, sexaginta aureorum Rhenensium millia; ejus summæ, priusquam è Daniæ regno sponsa digrediatur, numeraturus aureorum decem millia. Quod verò reliquum esset, supplerent insulæ regni Norvegici jam memoratæ, unà cum jurisdictione ac ceteris eodem pertinentibus: hac tamen lege, ut insulas eas eousque teneat Scotiæ Rex, donec vel ipse vel ejus hæredes, Daniæ ac Nor-

wegiæ Reges, æqua vicissim portione easdem redimant. Ad vitam cedat sponsæ palatium de Lindle &c. Si mori vel Regem vel Margaretam contingat ante celebrationem nuptiarum, omnia jam pacta irrita habentor.

Sequitur deinde, interjecto nonnullo intervallo, eâdem in historiâ.

Hinc cum Scotiæ legati, de quibus modò dictum, ad Regem suum retulissent, omnia ex sententia esse transacta, proxima fuit deliberatio, de honesto nobilium globo, ad novam nuptam è Daniâ ad Scotos deducendam, mittendo. Estque proximo statim anno, qui fuit supra millesimum quadringentesimum sexagesimus nonus, instructa cum classe missus Thomas Bodius, Roberti filius, Comes Araniæ; idque assensu omnium, & maxime Aulicorum haud ex infimis, qui eum intestino odio absentem potius, quàm præsentem volebant, ut mox patebit. Qui & salvus in Daniam cum illustri comitatu mox advenit. Priusquam verò, rebus jam peractis, solverent deinde è Dania legati iidem, Scotiam cum sponsâ petituri, egit cum eis Rex, ob impensas, quæ & indies in Sueticum bellum essent faciendæ, ut loco decem aureorum millium, qui erant, juxta pactum dotale, quamprimum in Scotiam esset sponsa deducenda, Scoto adnumerandi, duo tum millia acciperent; nomine verò reli-

quorum

quorum octo millium cederet Scotiæ Regi regni sui Norvagici insulam Hetlandiam, eâ lege, ut eam cum proventibus omnibus Scotus non aliter atque Orcades eousque sibi retineret, donec eam, redditis octo illis aureorum millibus, Rex Christianus, vel ejus hæredes redimerent. Inde in Scotiam, adulto jam vere, Danica classis reginam deduxit, &c.

Hac eâdem de re exstant quoque Johannis Ferrerii, Pedemontani quidem, sed cui supellex historica ab Henrico Sainclair, episcopo Roffensi, ex archivis Scotiæ subministrata est, ista verba: *In mari præterea Deucalidonio, ad Circium & boream, sunt Orcadum insulæ proxime ad littus Scoticum sitæ, numero 28. hodie tantum habitatæ; atque supra Orcades ad centum milliaria & amplius Norwegiam versus reperiuntur Schetlandiæ numero 18, quæ hodie ab hominibus incoluntur & Scotiæ Regi parent; de quibus magna fuit prioribus seculis inter Scotos & Danos contentio, possessore tamen Dano. Has omnes Christiernus Danorum Rex, novi matrimonii gratiâ, Jacobo Scotorum Regi, cum Margaretâ filiâ possidendas pacifice tradiderat, quousque vel ipse, vel posteri ejus dotis nomine quinquaginta millia florenorum Rhenensium nondum dissolutorum, Regi Scoto vel successoribus ejus persolvant. Sic enim nos ipsi vidimus*

vidimus & legimus in Matrimonii dominæ Margaretæ, Danorum regis filiæ, tabulis nuptialibus cum Jacobo ejus nominis tertio Scotorum Rege confectis & utriusque Regni sigillis decenter consignatis, anno domini 1468.

Quæ omnia perspicue satis indicant, quousque & quibus legibus earum insularum cessio celebrata iis diebus à Dano fuerit; ut mirari subeat, Seldenum, qui proximè suis verbis verba ista Johannis Ferrerii, à nostris, quæ jam quoq; adduximus, non admodum dissentientia, hac eâdem de re subjicit, adeò ab eo, & quæ ille adfert, recedere. Sed video quid responsurus Seldenus sit, sequi scilicet se Ferrerii ejusdem relationem ac verba, quæ & proxime ipsemet posuit expressitque, ista scilicet: *Postea verò cum domina Margareta Regina peperisset filium suum primogenitum Jacobum, Scotiæ principem; Rex Danus fœcunditatis filiæ suæ congratulaturus in perpetuum renunciavit juri suo de insulis maris Deucalidonici, nempe Orcadibus, Hetlandiis & aliis, quas sub hypotheca in matrimonio filiæ Regi Scotiæ cum eâ tradiderat.* Ità quidem, quem dixi, Ferrerius in eo, quod Hectori Boetio supplementum adjecit; Et sequitur eum dictisque ejus oppidò se obsequentem Seldenus præbet. Quod ab eo tamen factum

hîc

hîc noluissem: cum ejus in Actis Danicis nihil memoratum reperiam: & ipse Ferrerius Renunciationis ejusmodi tabulas se, ut priores, vidisse neget, sed in archivis regni Scotici asservari asserat, idque se auditione percepisse. Verba enim ejus ibidem ità habent: *Hujus renunciationis tabulas in archivis Scotorum principum asservari audio.* Quàm igitur minus probatio ea firma sit, hinc liqueat. quamvis interea tale quid factum, aut fieri potuisse haud magnopere negaverim; & esse fortasse domestica acta, quæ me lateant, facile concesserim.

CAPUT XX.

Explicatur Taciti locus de vasto boreæ mari. Albericus Gentilis, qui Tacitum pro se advocat, ex Tacito obiter redarguitur.

POst hæc, Capitũ Libri secundi, quod est apud Seldenum omnium ultimum, trigesimo nimirum secundo, haud sibi Seldenus ait, post Scoticum mare, etiam illud mare, quod in septentrionem latissime panditur, Frislandiam, Islandiam alias item insulas

insulas, Dani Norwegique imperio subjectas alluens, prætereundum: idque ob caussam, quę apud eundem exprimitur ejusmodi: *Nam* (sunt ipsiusmet verba) *etiam & hoc Britanno tribuerunt aliqui. Albericus Gentilis ad illud Taciti in vitâ Agricolæ:* Britannię septentrionalia, nullis contra terris, vasto atque aperto mari pulsantur: *vides, inquit, quàm protendatur Regis Magnæ Britanniæ imperium longè in Meridiem, Septentrionem & occasum: Ac si quidquid fere maris Britannis etiam in aperto oceano ullibi objaceret,* Regis *magnæ Britanniæ ditioni pareret*. Hucusque Seldenus, statuens cum Alberico illo Gentili, metatore parum æquo & sine ædilium suffragiis constituto, omnia maria tam in boream, quàm meridiem, aut occasum, Britanniam latissimè cingentia, ad obsequium unius Britanniæ pertinuisse olim hodieque pertinere; idq; ex verbis Taciti. Quæ tamen si recte accipiantur, nihil aliud volunt, quàm Britanniæ littus à parte boreali vastissimo mari, quod verissimum est, allui. Aliàs Tacitus, quod & ostensum superius, suum cuique tribuendum non ignorans, *Mare*, quod à Meridie Britannię adversum est, *Gallicum* accurate nominauit. Et Plinius, quod suo quoque loco jam modo est dictum,

In Vitâ Agricolæ.

dictum, è Norwegia navigari in Thulen, quę hodie Islandia dicitur, solitum memorat. è Norwegiâ inquam non Britanniâ; ut facile hinc pateat, quam rectè vastum hoc mare ad solam referri Britanniam debeat; aut asseri mare, quod eidem Britanniæ est meridionale, Britannici tantùm esse dominij; cum *Gallicum* ibi *Mare*, quod jam est memoratum, Tacitus agnoscat.

CAPUT XXI.

Maris borei ac Islandiæ circumflui usurpationem penes Reges semper Norwegiæ fuisse. Daniæ Norwegiæque Regum Erici & Iohannis I. diplomata hanc in rem posita propiusque expensa. aliaque eodem spectantia.

MOx clarissimus idem Seldenus, eodem trigesimo secundo Capite libri jam dicti posterioris, propius accedens ad Mare, quod Islandicum vocamus, *id Daniæ Reges, quà Norwegiæ Reges sunt, ex jure, si non malè obtēdunt, vetusto*, (ità habēt ejus verba) *vindicare sibi*, ait. Imo ex jure verè vetusto; nec id, ut tecum Seldene loquar, malè obtendere Daniæ Reges, ostendunt, præter alia,

alia, quæ ex Plinio attulimus, qui navigatum in Thulen ſive Islandiam è Norwegiâ vetuſtiſſimus jam ſeculis refert. Tum & oſtendunt verba, quæ ipſemet citas ex Oratione legatorum Erici Daniæ & Norwegiæ Regis ad Henricum quintum Angliæ Regem, habita anno 1453. Sed ea verba ex eorum Oratione priuſquam pono; notandum, malè à te, ex ſchedis tuis vetuſtis Bibliothecæ Cottonianæ, annum ibi adſcribi 1453, cum eo tempore nullus Ericus Danorum Rex fuerit, ſed Chriſtianus, ex ſtemmate domus Oldenburgicæ Daniæ ac Norwegiæ Regum primus. Interim Ericum hîc intelligendum, & aliquot de calculo illo demendos annos clarum ſit; præſertim cum iſtam controverſiam ſub eo agitatam ex hiſtoriâ Danicâ ad ann. 1431 pateat; Et ipſe, eâdem hac paginâ ac Capite, fædus inter Angliæ Regem & hunc Ericum citans, annum ponas 1432. Jam verba Erici, aut legatorum ejus, quæ laudas, hæc ſunt: *Invictiſsime Rex Angliæ, ſcire dignemini, quod gratioſiſsimus dominus noſter Rex Norwegiæ &c. præfatus habet inſulas aliquas videlicet Islandiam,* **Feroy / Hietlandt /** *& alias plures ad regnum ſuum Norwegiæ pertinentes, ad quas nulli ab antiquo ſolebant accedere de terris alienis ex qui-*

buscunque causis sive piscandi sive mercandizandi, sub pœna vitæ & membrorum; non magis homines regni Norwegiæ, quàm aliorum terrarum, præter specialem licentiam regiæ Majestatis. nec de aliquo alio loco post obtentam licentiam exire licebat, quam de civitate Bergensi, nec redire ad eundem locum cessante inevitabili necessitate ubi eas custumas & alia jura ad regium fiscum exsolvere oportebat juxta antiquissimam regni Norwegiæ consuetudinem, sine aliqua hominum in contrarium memoriâ penitus observatam. Quibus alia continuo adjiciens, Christophori quoque Danorum Regis diploma, aut ex eo eundem in sensum verba adducit: ut & fœdus iam ante inter Ericum Daniæ & Henricum Angliæ Reges ictum an. Christi 1432: iniectâ simul mentione *sanctionis Henrici sexti Parlamentariæ, quâ per annos aliquod ejusmodi itidem in Norwegi gratiam*, sunt verba Seldeni, *interdictum obtinuit*. Quæ omnia licet ejusmodi sint, ut eo in mari easque in insulas Regum Daniæ ac Norwegiæ dominium satis indicent, tamen addere continuo Seldenus hunceque in modum loqui insistit: *Adeo ut frequentia sint diplomata, quibus à Regibus nostris postea venia Islandiam, Finmarchiam, alias Norwegiæ & Sueciæ Regis provincias adeundi Anglis indulgetur.* Quæ

I non

non video, quomodo connecti aut quadrare superioribus possunt, præsertim iis, quibus in gratiam Norwegi Henricus Angliæ Rex interdixisse suis dicitur, ne Islandiam idque mare, nisi secundum leges à Norwego præscriptas, frequentarent, & id quoque interdicti per annos aliquot obtinuisse. Quod igitur sequitur : *Sed ipsa lex, cujus vis ex ejusmodi indultis, pro Regis arbitrio relaxabatur, sub Henrici octavi initiis est antiquata. Et de eo tempore Joannes Major, quotannis inquit, ad Islandiam, ultra circulum arcticum, Anglorum classis pro piscibus habendis proficiscitur* : Id intticatius positum, nisi ultimis, quæ Majoris sunt verba, aliquatenus explicaretur.

Nam ea qualiscunq; fuerit in Islandiam profectio, non aliter accipienda, quàm Regum Daniæ Norwegiæq; indultu permissa. Sic anno 1468, quæ exercita ab Anglis item in eandem insulam & insulanos, sub Eduardo IV Angliæ & Christiano I Regibus, non tam negotiato quam vis ac violentia, trucidato, qui erat inibi Daniæ Regis profecto, ac multis eodem ludibriis affecto, eam quanta deinde mala exceperint ostendent suo loco ad annum jam dictum rerum Danicarum res ac memoriæ. Et ut gustum eorum aliquem præbeam, ità habet

habet in Rebus Christierni, quæ in schedis adhuc servatur, historia nostra:

Erant quidem hoc tempore inter Angliæ & Daniæ Reges amica omnia; idque demonstratum Anglorum præcipue Rex Eduardus IV. voluit, missâ per hos dies ad regem Christianum muneri prætoriâ navi, affabrè exstructa ornataque. Invenio interim controversiarum iliadem quandam natam, ex contractu, quo cautum erat, ne quis Anglorum sine Danorum regis peculiari permissu Islandiam suis navibus ac mercimoniis frequentaret; idque sub amissione bonorum & vitæ. Fueratque hoc Regium Placitum, permittente Eduardo rege, Londini publicatum. Angli nihilominus, & n his Londinenses præsertim ac Bristoenses, hoc ipso anno 1468, Islandiam adeunt, nescio non solum rege, sed præfectum quoque ejus vi rmatâ impugnant ac trucidant, direpto ac liruto, quod inhabitabat, regio prædio: Nec d modò, sed dispoliatis insuper incolis; eorumque ædificiis incensis, etiam præfecti cadaver ihumari prohibuerunt; eique intra navigii fos os aßumto varie ac barbarum in morem illuerunt. Cujus facinoris crimen, ubi præfecti onjux liberique ac ceteri, qui perpeßi detrimentum opprobriumque fuißent, ad Regias *ures deferri fecissent, petentes simul ut scelus m enorme, tamque inhumanum pro merito*

puniretur, & sibi ut damnum præstaretur, coactus est rex Christianus in freto Oresundâ manum injicere tribus aut quatuor Anglorum navibus, Londino ac Bristoâ profectis: Hisque ac bonis earum distractis, sibi ac conjugi præsidis sui, ceterisque satis fieri curavit. Interea datis ad regem Eduardum codicillis, causam & occasionem retentarum à se navium amice ac tempori perscripsit; ne fortaße aliorum falsâ relatione aliud Eduardus animo conciperet. Precatusque est eum Christianus rex, cum ejus jussu ac voluntate certò sciret nihil ejusmodi patratum, vellet subditos suos, qui sceleris rei essent, dignis pœnis afficere; & adjuvare ut damna ab ipsis data resarcirentur; quo omnia integra, & amicitia præsertim inter ipsos sarta tecta maneret. Similiter & literas misit ad Angliæ emporia celebriora, mercatorum singulos commonens, caverent suas in naves vel Londinensium vel Bristoensium bona aßumere, sub pœna amissionis tam bonorũ eorundem, quàm navium. Hinc variæ simultates natæ. quippe suspectabat rex Eduardus urbes Prutenicas ac Vandalorum, quasi regem ij Christianum incitaßent ad retentionem Anglicarum navium: Et ideò eorum quoque navibus fortunisque injicere manum suis in portubus instituit. Quod continuo ad Eduardum datis literis excusavit rex Christianus, orans atque obsecrans, ne

ne Vandalicis urbibus impingeret, cujus causam præbuissent subditi ipsius. Quod & aliis codicillis ad principes, dynastas ac civitates hinc inde missis haud subticuit, usurpans in iis (Latinè enim scripti erant) hæc formalia: Arte & ratione cum vivat hominum genus, nequaquam impetu, quo feruntur bestiæ, sed ratione quâ bestiis præstat homo, hominum sunt opera judicanda. Sicque tuenda modis est omnibus innocentia, ut qui non sunt in causâ conscii, non sint in pœnâ socii, nec in mulctatione participent, qui in crimine non communicant.

Contractus inter *Eduardum* Anglorum Regem & *Christianum* I, cujus in verbis superioribus injicitur mentio, initus Hamburgi fuerat sub annum Christi 1465. Estque ut fœdus habitum, quod ad vitam non modò, sed & post utriusque regis excessum integro biennio ac deinceps eousque duraret, dum esset, qui retractatum id cuperet. Interea singulorum subditis fas utrimque esset agere, versari, negotiari in ditionibus, civitatibus, opidis, portubus, fretis cujusque libere & sine offensione, soluto solum, qui pro more & consuetudine deberetur, censu ac telonio. Inde secundo statim capite eodem in contractu: quod ad Islandiam, hæc est legere: *Operam Rex Anglorum dabit efficietque, ne subditi ejus sine*

 peculia-

peculiari Norwegiæ regis indultu vel navigent in Islandiam, vel ibi, aut circa eam negotientur terramque frequentent in detrimentum regis Norvagorum, sub pœnam vitæ ac bonorum; uti nec in Halogelandiam ac Finmarchiam, nisi necessitate eò ac tempestate appellere adigantur. Quod si fiat, ibi tamen negotiari fas ipsis haud erit. Cætera quæ sequuntur de immunitatibus ac prærogativis, quibus fruerentur tam Angli in Daniâ, quàm Dani in Angliâ, aliaque cum ad causam præsentem non spectent, hîc omisimus, ibi suo loco & tempore videnda.

Hîc verò idque seorsim, nequaquam prætereundum, quod vel maxime Daniæ ac Norwegiæ Regum hoc in mari dominium indicat, quod isto inter Eduardum Angliæ & Christianum Daniæ Regem & fœdere cautum memoratur, ne Anglorum quispiam Islandiam aut istas oras appelleret; si autem necessitate aut vi ventorum id fieret, negotiari tamen ibi fas ipsis haud esset. Nam & olim similiter, cum maris dominarentur Carthaginenses, Romanis modum posuerunt, jusseruntq; ne vel Africam vel Sardiniam appellerent, nisi aut commeatus recipiendi vel naves reficiendi gratia, quemadmodum id memoratum ab auctorum maximo Polybio legitur.

Fœdere Carth. cum Rom.

Hinc

Hinc addit continuò iſta:

Ceterum utcunque de borealioris hujus dominio fuerit ſtatuendum, ejuſmodi nihilominus ſaltem ſervitus perpetua olim, initis inter Norwegiæ & Angliæ Reges pactis, ei imponebatur, ut ad Iſlandiam adeundi & hoc mari utendi, fruendi jus item perpetuum ſubditis regis Angliæ etiamnum permaneat. Icto enim Haffniæ, inter Henricum Angliæ VII & Johannem II. Daniæ & Norwegiæ reges, fœdere an. Christi MCDXC. ſancitum eſt, quod mercatores & homines ligii piſcatores & quicunque alij regis Angliæ & Franciæ ſubditi libere poſſint temporibus futuris in perpetuum ad inſulam Thule, id eſt, Iſlandiam, cum eorum navibus & bonis & mercandiſiis, victualibus & aliis rebus quibuſcunque emendi, vendendi, piſcandi ſive mercandiſandi cauſa navigare, accedere & intrare ibique morari & more mercatorio converſari, & ab eadem redire & libere revenire toties quoties eis placuerit abſque prohibitione, moleſtatione vel impedimento noſtro hæredium ve noſtrorum & ſucceſſorum in regnis Daniæ & Norwegiæ vel officialibus noſtrorum quorumcunque, ſolvendo tum in illa inſula, tum in portubus ejuſdem, in quibus appellere eos contigerit, jura & telonia debita & conſueta; proviſo ſemper quod lapſo ſeptennio poſt datum præſentium

immediate currente, novam licentiam à nobis & successoribus nostris regibus Daniæ & Norwegiæ petant & obtineant, ut sic de septennio in septennium, mercatores & omnes prædicti nos & successores nostros reges Daniæ & Norwegiæ in impetratione novæ licentiæ in perpetuum recognoscant.

Huc usque Seldenus, tam suis, quàm verbis ex utriusque Regis diplomate allatis, locutus fuit. Quæ suis verbis dicit, hoc vitij habent, quod Regem Daniæ Johannem, ejus nominis secundum faciat, cum ejusmodi apud Danos nullus fuerit. Fuit enim Rex Johannes I; nec præter eum eo nomine alius. Cæterum diploma ipsum satis manifestò indicat, nullum hîc Anglis jus, sed Daniæ ac Norwegiæ Regum hoc totum fuisse & ab illis manasse universum, quod Anglis indultum hic fuit. Idque certis legibus, quæ jam positæ memorатæque sunt. ut iterum iterumq; non videam, quomodo Seldenus, postquam etiam addidisset, renovatum Haffniense illud fœdus inter *Christiernum* II Regem Daniæ & Angliæ *Henricum* VIII anno 1523, quomodo inquam hæc tamen verba usurpare, ac iis continuo subjicere queat, hæc inquam: *Jus igitur est perpetuum & ad hæredes Regis Angliæ transmissum; ut Anglis liber sit*

Maris

Maris hujus septentrionalioris seu Islandici usus. Nam quibus navigare id mare littusque frequentare non nisi indultu alîus, id est, Daniæ Regum fas fuit, solutis, quæ in portubus debeantur, teloniis, tum & singulis septenniis novâ veniæ petitione idem indultum ut renovarent, quomodo ii jactare *jus perpetuum & ad hæredes transmissum* aliaque ejusmodi queant, non perspicio. Et tamen iterum eodem capite ità Seldenns: *Neque sane ex fœdere illo Haffniensi jus omne in mari illo Anglis competere cæpit, quidquid obtenderint Norwegi*. Ecce, *jus omne in mari illo* appellat hoc indultum per veniæ petitionem singulis septenniis renovari solitum: quæ servitus verius fuit. Et ita quoque appellat eodem hoc capite, ubi inquit: *Jus hoc sive servitutem Marinam Anglis tam temporis præscriptione, quam perpetuis fœderũ pactis adeò confirmari, ut id quod de licentiæ petitione in pactis Johannis II* (vult dicere I) *& Henrici VII Regem occurrit, non eò omnino pertineat, ut sive negata ea sive non petita, jus sive servitus illa minueretur, sed eo duntaxat ut Norwegicum in hoc mari jus itidem quodcunque ab Anglis, solenni cujuslibet septennij petitione, recognosceretur.*

Sed & illud notabile est, quod Anglis ex eo jus aliquod antea in illo Septentrio-

nis mari fuisse concludere studet, quia Henricus V. Angliæ Rex tempore Erici Pomerani Daniæ & Norwegiæ Regis in gratiam Norwegi concesserit, ut Angli ibi per annum deinceps piscaturam haud aliter exercerēt, *quàm antiquitus fieri consueverat*. Imo id Anglis non simpliciter concessit, sed ex pactis conventis & jure, quod Regibus Daniæ & Norwegiæ debebatur, suis id mandavit, de quo & antea injectum. ubi tamen non *Henricus V* sed *VI* & anni item aliquot nominantur. Adeo ut illa, quæ statim deinde subjicit Seldenus: *Tempus præfinitum & vetus piscandi consuetudo pristinum jus aliquod aperte sonat*, nullum jus pristinum Anglorum, nisi licentiam tantùm & indultum, quod à Daniæ ac Norwegiæ Regibus Angli acciperent, sonare queant. Et docet id diserte Edicti formula, quam & Seldenus expressit, illa nimirum: *Nullus de ligiis domini nostri* Regis *quibusdam certis de causis ipsum dominum nostrum* Regem *specialiter moventibus ex nunc in unum annum proxime jam venturum ad partes insulares* Regnorum *Daniæ & Norwegiæ, & præsertim versus Insulam de Islande, piscandi causa seu aliâ accedere præsumat, in præjudicium* Regis Regnorum *prædictorum, aliter quàm antiquitus consueverat*. Ubi ea verb

regi

regij istius Edicti: *in præjudicium Regis regnorum prædictorum*, & illa: *aliter quàm antiquitus consueverat*, hoc ipsum satis ostendunt, nimirum absque peculari Norwegiæ Regum indultu inhibitas eas insulas exteris semper fuisse; & aditas non nisi ab indigenis incolisque Norwegiæ aut Daniæ.

Et quia non exprimi à Seldeno, sed reticeri superioris Edicti Regij æram anni reperiam, & modò ei Henricum V, modò VI Anglorum Regem nominari, adscribam ex historiâ nostrâ Danicâ, quæ inter *Ericum*, qui Pomeranus est dictus, Daniæ, & *Henricum sextum* Angliæ Regem, sub annum Christi 1431, hac super re acta pactaque fuêre. sunt enim ejusmodi: Lib. 9.

Advenêre per idem fere tempus honorifice salutatum Ericum Henrici sexti Anglorum Regis legati Guljelmus Sprenius Jurisconsultus & Johannes Germersbyus, Eques. His in mandatis Henricus dederat, ut cum Erico Daniæ, Sueciæ & Norvagorum Rege, absolutâ potestate, suo regnorumque suorum ac subditorum nomine agerent, omniaque ad pacem, concordiam mutuaque commercia, quæ antiquitus semperque inter utrosque fuissent, pertinentia constituerent; se ea cuncta sedulo exequuturum. Habebant & specialia quædam mandata de damnis, quæ, ut referebant, Norvagi quibus-

quibusdam ex Anglicis negotiatoribus intulissent. His ut quàm primum satisfieret, petebant. Rex istis acceptis amicè rescripsit, gratias primo Anglorum regi agens pro insigni, quâ se invisere dignatus fuerat, legatione. Inde placere sibi significabat, pacis studium ac veteris amicitiæ, quâ Regiæ semper Anglorum Danorumque familiæ ac populi conjuncti fuerant, memoriam. Eamque per Reginæ Philippæ *conjugis suæ felicis memoriæ illustres nuptias ad se usque continuatam. De damnis verò quibus affecissent Norvagi Anglos ita referebat, se, cum in eo esset, ut, convocatis regni sui Norvagici senatoribus, causa ea propius inspiceretur, allatum sibi, ex iisdem senatoribus tres tantum Haffniam accessisse, ceteros qui unà erant ablegati, in mari ab Anglis captos retentosque. Eos autem, qui præsentes essent, auditis Anglorum postulatis, reposuisse vicissim ac graviter questos, quod Angli suis navibus commerciisque frequentarent Norvagiæ insulas Islandiam, Groenlandiam, Feroam, Hetlandiam; Orcades aliásque, ipsis omnibusque exteris adiri semper vetitas, exceptis Bergis, publico Regni emporio ac rerum earum omnium, quas boreas producit, communi foro ac stapulâ. Hoc autem factitatum ab ipsis contra fas & æquum cum ingenti incolarum detrimento jam annos circiter viginti.*

Nec

Nec illud modò, ſed & portus ſæpenumero Norwegiæ hoſtiliter ingreſſos, ferro flammâq; municipia vaſtaſſe, naves diripuiſſe ipſoſque naucleros profundo merſiſſe: Eſſeque ſpeciatim annotatum quid in Hallegolandia & Findemarchia, quid iis navibus, quæ Bergis Norvagorum Iſlandiam quotannis petunt, & iis quoque, quæ Hetlandiam, Orcades aliaſque in vicino inſulas adeunt, per annos illos viginti damni dederint: & nomina etiam non eorum modò, qui detrimentum eſſent paſſi, ſed eorum quoque, qui intuliſſent, ſcripto pro parte conſignata haberi.

Et deinde poſt pauca ad annum inſequentem 1432:

Hinc proximo Octobri Callendburgum convenerunt Henrici Anglorum & Erici Danorum regis nomine, Robertus Schotbrochus Eques, & Wilhelmus Sprenius juris utriuſq; conſultus, Johannes epiſcopus Roſchildenſis, *Thomas Strengeneſſenſis, Arnoldus Clemens confirmatus Bergenſis, Axillus Petri, Arvidus Sturo & Eſchillus Brock Equites, ad componenda, quæ inter utroſque reges, eorumque ſubditos inciderant controverſa. Eſtque ſuper iis utrimque, modo &* Regibus *ità videretur, ſtatutum in hunc fere modum: Primò, quod ad injuriam contumeliamque, qua affecti eſſent regiæ majeſtatis conſiliarij Anduornus epiſcopus*

pus Stavangriensis itemque Eudredus Erlandus, regni Norvagici senatores, cum anno superiore, ut ante relatum, Haffniam ablegati, ut de commodis utriusque regni, Angliæ Norvagiæque cum Rege *dispicerent, ab Anglis caperentur, de eo polliceatur Anglorum* Rex *se inquisiturum ex quonam isti Angli portu solverint, daturumque operam ut dictis Norvagiæ senatoribus, cum ob detrimenta, tum dedecus illatum, satisfiat; & simul constet, nullum in eo Regis fuiße beneplacitum, sed mutuam esse ejus fraternamque erga Daniæ Regem affectionem ac voluntatem. Quod vero ad ea damna ac raptus attinet, quibus Islandiam, Halogelandiam, Finmarchiam aliaque prohibita loca ac portus iidem infestaßent, quorum præcipue nomine anno superiore Haffniam ad regem missi fuerunt* Sprenius *prædictus &* Johannnes Gremersbyus, *de eo Rex inquiri faciat; atque ità in authores animadvertat, ut inde cognosci fraternus ejus animus poßet, & simul intelligi quid regnorum quies ac mutua amicitia efflagitet, & denique ut exemplo ac terrori sit aliis. Si qui etiam ab iisdem Anglis ex Islandia, Findemarchia, Halogelandia in Angliam traducti fuerint, eos ubicunque intra regnum suum deprehenderit Anglorum Rex, reduci curet efficiatque accepta pro operis suis mercede libere & absque impensis domum redeant.*

deant. Quicunque etiam ab Anglis Norvagi vel Angli à Norvagis cæsi intelligentur, operam uterque Regum det; ut hæredibus eorum ſatisfiat, ac mulcta pendatur. Si quid præterea ab Anglo prædatus convincatur Norvagus, in id rex ſenatuſque Norvagiæ incumbat, ut cum eo, qui damnum accepit, ex æquo ac bono tranſigatur. Ipſe poſtremum Daniæ Rex, ſi quam redituum ac vectigalium ſuorum ex eadem occaſione injuriam ac detrimentum incurrerit, de eo cum Rege Anglorum, utpote fratre ſuo, amice per literas agat. Hæc ſancte & ſine vitio ſervaturos Regum utroſque, legati jam dicti ſe obſtringebant: Et illud inſuper, manſurum Angliæ Regem Daniæ Regi perpetuo amicum, non bello aut detrimento ullo affecturum, ſed nec permiſſurum ut ejus ſubditi ſtipendia adverſus ipſum aut regnum ejuſq; hæredes faciant: Quin & ſignificaturum ei, ſi quid in detrimentum ejus tentari cognoverit: Et idem quoque facturum per omnia Daniæ Regem; ità tamen ut liberum illi ſit, ſuis copiis adeſſe pontifici Romanæque eccleſiæ, nec non Romanorum, Ungariæ ac Poloniæ Regibus, ut & Ordini Theutonico eorumque poſteris: Et Anglo viciſſim permiſſum juvare pontificem, eccleſiam, Hiſpaniæ & Luſitaniæ Reges eorumque poſteros. Concedebatur prætereà, ut Regis utriuſque ſubditi frequentarent portus

ac ditiones quæcunque inhibitæ non eßent, modò portoria & quæ more majorum deberentur, penderent. Quæ autem inhibita vetitaque, ut Islandia, Findemarchia, Halogelandia aliaque loca atque introitus, hi sub pœna capitis as bonorum adiri vetabantur: Similiter & Daniæ Regis subditi abstinerent ab iis Anglici regni portubus, quos prohibitos constaret, nisi necessitas ac vis ventorum aliud cogeret. Quos tamen eâ occasione negotiari ibi sub pœnâ eadem interdictum volebant: In hanc pacem ac formulam si quos utriusque Regis subditos delinquere contingeret, immota nihilominus ac firma inter Reges pax esset: Penes eum interim, qui commonitus, in delinquentem, quod jus atque æquum postularet, statuere negligeret, culpa remaneret.

Ex quibus intelligere, præter cetera, est, integros circiter viginti annos Islandicâ navigatione eoque mari usos edictis insuperhabitis; Et eâ occasione obque injustam eam usurpationem initum hunc tractatum & ad veterem morem modumque reducta omnia. Et ideo, quæ subjicit deinde Edicto Angliæ Regis, modò posito, Seldenus de diutina jam olim Anglorum in hoc mari piscatione, hæc nimirum: *Etiam Anglos eo in mari per annos complures antea piscaturum excecuisse liquet ex tabulis ejusdem*

dem Regis (Henrici V) parlamentariis, eam quo jure quave injuriâ exercuerint possederintque indicio sit satisque demonstret tractatus jam positus. Etenim is, ut indicatum modò, inter Ericum Daniæ & Henricum sextum Angliæ Regem constitutus. Eum autem Henricnm sextum proximè præcesserat Henricus quintus.

CAPUT XXII.

Posita verba ex literis quas citat Seldenus Reginæ Elizabethæ. eaque explicata. Hullensium Anglorum piscatio in Mari circa Norwegiam inhibita. ejus causæ. aliaque eodem pertinentia.

HInc eodem illo 32. Capite propius ad rem aut tempora potius nostra accedens Seldenus, ità infit: *Verum de hac re luculenter omnia explicantur & copiose defenditur jus isthoc Anglorum in literis ab Elizabethâ Reginâ Cal. Septembris anni* MDXCIX. *ad Christiernum IV datis, quarum partem huc spectantem inserere est operæ pretium:*

Ad requisitionem serenissimi principis patris serenitatis vestræ, anno MDLXXVII, *legatum in Germaniam misimus, qui cum ipsius*

 deputatis

deputatis tractavit de omnibus controversiis & præsertim de piscatione Islandicâ & Norwegicâ, ubi compertum est Regem niti tantummodo tractatu biennalium induciarum in quo tum conventum fuit ne Angli ultra Hagalandiam navigarent. At ex parte nostra exhibiti fuerunt tractatus cum Regibus Johanne & Christierno; in quibus, sopitis, quæ præcesserant, controversiis, aliter fuit conventum; & huic tractatui pacis generalis postea factæ, non præcedentibus induciis biennalibus standum erat. Quod recognoscens serenissimus princeps, parens vester, petiit per literas suas, ut controversia ista referri possit ad aliam disquisitionem.

Sub Eduardo IV. Angliæ R.

Quibus in verbis Reginæ Anglorum Elizabethæ, quod provocatio fiat ad eos contractus, qui habiti initique sunt cum Regibus Danorum *Christiano* I. & *Johanne* I. patre filioque, non extra aut præter rem fieri existimo. At utrumque contractum, qui in manibus est, Seldeno esse adversum ejusque causam haud leviter evertere, ex ipsis contractibus sat liquet. Positi enim hi nobis supetius sunt, & prior quidem, qui est Christiani I. habetur Capite XIX; alter verò, qui est Johannis I, extat Capite similiter antecedente, quod est in ordine XXI. In priori demonstratur præcipue

cipue quid filiæ ſuæ *Margaretæ*, quæ nupſit *Jacobo* III, Scotorum Regi, dotis nomine Rex *Chriſtianus* ceſſerit; oſtenditurque Orcades Hetlandiamque certo ei aſpectu à Dano traditas, dum nimirum certa pecuniarum ſumma, quæ ibi exprimitur, veluti dos, nomine earundem inſularum, Scoto refunderetur. Altero contractu, qui eſt Regis *Johannis* primi, diſerte urgeri recognitionem, quæ fieri ſingulis ſeptenniis debebat, ex ipſo intelligi poteſt, qui poſitus eſt expreſſuſque Capite ſuperius vigeſimo primo jam memorato.

Legitur deinde eiſdem in literis Reginæ Anglorum.

At ab eo tempore nulla talis diſquiſitio facta eſt. Nihilominus accepimus ſubditos noſtros piſcantes captos & tormentis cruciatos & hoſtiliter tractatos fuiſſe. An juſte hoc factum ſit, judicare omnes poterunt, qui æquo animo rationes noſtras ſunt expenſuri. Non negamus, quin cum dominus cancellarius Whitfeld *&* Barnicou *ad nos venirent* (Witveldius & Barnicovius legatione functi ſunt in Angliâ anno 1597.) *prætendiſſe eos verbis piſcationem illam Iſlandicam & Norwegicam ab Anglis contra fœdera & pacta regnorum exerceri. At cum probationem nullam protulerint neque proferre potuerint, nos verò*

 authen-

authentica instrumenta Regum Johannis & Christierni habeamus in contrarium, quibus major fides adhibenda est, quam nudis allegationibus, res in aliud tempus rejecta est.

Eam Anglorum maletractionem quod attinet, de eâ magnopere dicere, nisi id forte necessum sit, ei occasionem dedisse Anglos ipsos verisimile esse; tum & hoc, quod eripi sibi aut infringi Dani noluerunt, navigandi suas ad oras sibi debitum jus ac privilegium. Loquitur autem eâdem de re, deque maletractione illâ multo clarius Guljelmus Camdenus in Rebus Reginæ Elizabethæ, quàm hoc loco Seldenus. Ita enim ille ad 1600: *Danus superiore anno hisce piscationibus & Anglorum* piraticâ *offensior, armatâ classe Hullenses Anglos prope Norwegiam piscantes ex inopinato oppressit, naves atque bona ad magnum valorem confiscavit, & nautas tormentorum cruciatibus subjecit, causatus hanc pœnam simul cum interdicto piscationis in Angliâ ante bienninm fuisse denunciatam, eo quod licentiam non petiissent.* Quæ sane ejusmodi sunt, quæ excusare Danum ejusque hoc factum meritò debeant. Quin & constare ex eodem Camdeno ejusque ibidem allatis verbis potest, hasce Reginæ literas pro Hullensibus fuisse tum scriptas

missas-

miſſasque ad Regem Danorum Chriſtianum IV modo memoratum. Jam qnod deinceps dicitur, probationem protuliſſe nullam, nec proferre potuiſſe regios Chriſtiani IV ad Reginam Elizabetham legatos, ampliſſimum Witfeldium & Bernecovium; miramur hoc dici, cum Regina eo anno 1597. legatis Witfeldio & Bernecovio, quod habet diſerte ad eum annum clariſſimus Cambdenus, benigniſſime pollicita ſit, operam daturam ſe, ut piſcationes ex antiquis fœderibus legitime exercerentur. Quin & ipſa claſſica inſtrumenta Regum Chriſtierni & Johannis, quæ pro ſe facere Seldenus putat, ſatis ſint probationis ad evincendum, quod legatorum uterque ſereniſſimi Danorum Regis voluit, piſcationem nimirum Iſlandicam & Norwegicam contra fœdera & pacta regnorum ab Anglis uſurpari, niſi ad præſcriptionem eorum, quæ inter Reges eoſdem & Anglum jam ante actitata ſtatutaque fuerant, uſurparetur. Ipſa inſtrumenta, quæ poſita ſuperius cap. 19. & 21, ut inſpiciantur, propiuſque cum hiſce Seldeni verbis ut contendantur æquum lectorem oro. Nec enim Reges jam dicti; niſi amicitiam & pacem exoptare ſe profitentur, quatenus id abſque detrimento Regni ſui Norwe-

gici ejuſque cum honore fieri queat. Aut ſi (quo reſpicere Seldenus videtur) non hocce inſtrumentum Chriſtiani 1. Daniæ Regis, ſed illud potius quod ab ejus nepote Chriſtierno II profectum, intelligere ſe dicat; Reſpondemus, nec illud pro ipſo aut ejus cauſâ quidquam poſſe; cum eo renovatum ſit tantùm id fœderis, quod erat jam ante inter Anglorum Regem Henricum VII & Johannem Chriſtierni II parentem Daniæ Regem ſancitum: de quo & modò injectum fuit; oſtenſumque, eo vel maxime urgeri recognitionem illam ſeptennalem ac veniæ petitionem, Seldeno jus ſive ſervitutem Marinam jam ante nominatam.

Sequitur inde, paucis interjectis, iiſdem in literis:

Quod verò ex tractatu cum Rege Johanne prætenditur, licentiam pro piſcatione de ſeptennio in ſeptennium peti oportuiſſe (id quod nec per quamplurimos fuit omiſſum) reſpondemus ejus omiſſionis culpam non proceſſiſſe ab Anglis, ſed Danis. Nam uſque ad tempus expulſionis Chriſtierni Regis, circiter annum domini 1521, ſeptennalis illa licentia petita fuit. Poſtea verò peti deſiit, propter incertitudinem ad quem legitime Regis ſucceſsio ſpectaret. Et à tempore

pore dictæ expulsionis Christierni Regis, neque reges Fredericus abavus, Christiernus avus, neque Fredericus parens Serenitatis vestræ ullam talem petitionem licentiæ urserunt. Sed existimantes sufficere priores tractatus, qui inter Reges & Regna initi fuerunt, post plurimorum annorum præscriptionem (cum satis alioquin securi eßent id nunquam attentandum iri propter quod petitio primum talis licentiæ instituta fuerit) nihil voluerunt innovare. Et in hunc finem doctori Cragio monstratæ fuerunt literæ Frederici Regis patris serenitatis vestræ quarti Maij anno MDLXXXV. *ad nos scriptæ, si Angli ab injuriis abstinuerint ipsos gavisuros libertate & solitâ clementiâ absque ullâ mentione vel requisitione petitionis licentiæ; quum nihilominus nos obtulimus vobis, Mercatores nostros secundum antiquam & per multos annos intermissam consuetudinem deinceps à vobis de septennio in septennium petituros, quam oblationem certiores facti sumus Serenitatem vestram noluiße admittere.*

Hæc etiam referri à clarissimo Camdeno, reperiet, quicunque inspecturus propius erit, quæ idem hac de re memorat ad annum 1600. nisi quod clausulam eam videatur omittere aut ignorare: Nec satis quoque expressisse, quod literas Frederici Regis spectat, quæ hîc monstratæ memorantur

rantur doctori Cragio. Literarum interim contentum ac sensus jam indicatus adfertur. Deinde & hoc iisdem illis Reginæ literis notatum ex Camdeno potest intelligi, quod Seldenus, ut monstratum superius Capite 18, à legatis Elizabethæ Reginæ in Dissertatione cum legatis Danicis Bremæ habitâ, an. 1602, de liberâ maris navigatione ac usu, minus providè prolatum existimat. Ut ità colligi hinc satis queat, haud illa à legatis Reginæ obiter & extra mandatum fuisse allata, cum etiam eadem hisce reginæ ipsius literis inserta jam constet. Verba enim Camdeni, quia à Seldeno posita non sunt, ad annum eundem 1602 ità habent: *Iniquius igitur cum Anglis nunc agi, quemadmodum nuper recusarunt licentiam de septennio in septennium, ut olim, deinceps petere; & celeberrimi jurisconsulti judicarunt, mare ex jure gentium liberum esse & commune, nec ab ullo principe interdici posse.*

Illud autem quod dicitur, & memorat quoque Seldenus, illam septennalem licentiæ petitionem libenter accipere & acceptasse Anglos, noluisse autem eam, ut hîc injicitur, admittere Danorum Regem, cùm super eo neque Camdenus neque Seldenus rationes adferant, ob quas admit-

tere

tere eam noluerit nolitque Danus, dubitandum tamen non eſt, eas admodum graves eſſe. Quas & ſuo tempore, ubi ea documenta noſtras in manus venerint, cum Deo in publicum producemus deque eo agemus propius.

Seldenus autem, poſtquam Reginæ literas eum in modum, ut poſuimus, recitaſſet, continuò hæc ſubjicit: *Neque enim voluit sereniſsima Regina juriſdictionem & imperium Regis Daniæ & Norwegiæ in hoc mari aliter agnoſcere, quam ut integra interea, (ut aviti patrimonii pars minime contemnenda) piſcandi, quam diximus, ſervitus ibi (ut dictum eſt) conſtituta ſibi ac poſteris retineretur.* Quæ ejus verba, licet implicata & nubila, hoc tamen indicare videntur, juriſdictionem & imperium maris ac littoris præſertim Iſlandici penes Daniæ ac Norwegiæ Reges eſſe. Idque eatenus à Reginâ ſive Anglis agnoſci, quatenus illis piſcandi ſervitus (ita appellat) ſive poteſtas veniaque integra maneat. Quæ tamen, ut appellare jam dixi, ſive ſervitus ſive licentia à Dano illis conceſſa concedique ſolita, *quomodo, ut aviti patrimonii pars minime contemnenda*, haberi Seldeno & Anglis queat, non ſatis capio: cum ſervitus conceſſaque poteſtas nihil tale polliceri videantur.

Postremum ità concludit: *Aliæ fuêre & literæ & legationes de hac re anno* 1602. *Sed ampliatâ lite, nihil definitum est.* Intelligit Seldenus literas & legationem, quæ adornata à Reginâ fuit (post illam Embdanam, de quâ Cambdenus in historiâ ad annum 1600.) habitaque Bremæ anno Christi 1602. Tum enim eò delegati Regum utrimque convenêre. In his à Rege Danorum missus accesserat, *Manderupius* Pasbergius Regni senator, *Arnoldus* Witfeldius, Regni Cancellarius; & *Jonas* Charisius Jurisconsultus. Regina præsulem miserat Lundensem itemque *Christophorum* Perkinsium & J. *Swalium*, juris doctores. Ejus actionis quæ tum catastrophe fuerit, cum ampliatâ lite, nihil definitum Seldenus hîc memoret, apponam quæ ad annum eum refert Camdenus, ista scilicet: *Postquam duos jam menses scriptis utrimque exhibitis de hisce disceptant, Dani Anglis præter expectationem denunciarunt, se nullam habere potestatem recognoscendi vel reformandi fœdera, nec tollendi, nec muniendi vectigalia, nec concedendi piscationem in Mari Islandico & Norwegico, sine speciali Regis licentiâ certisque aliquot conditionibus. Simulque inhibuerunt sub pœnâ, quâ ceteræ piscationes jam antea prohibitæ, ne Angli ad insulas Feroe piscarentur.*

Vide Cambdenum.

*arentur. Angli contra de nullitate ac inva-
iditate hujus inhibitionis & alterius cujuſcun-
ıue declarationis contra fœdera facta diſertis
erbis proteſtati ſunt.* Sicque ſalvis utriuſ-
ıue Regis regnique juribus diſceſſum eſt.

CAPUT XXIII.

*Groenlandia ejusq; littus mareq; id hyper-
boreum cum imperio omni Norwegis ad-
ſertum. Balænarum circa id littus ca-
ptura. Pulmoneum hoc mare Pitheæ
Maſſilienſi; item mare jecoreum, vulgo
Leberſee dictũ Adamo Bremenſi. Groen-
landiæ præſulum Index. quando adna-
vigari Groenlandia deſita. ejuſque cau-
ſæ.*

LOco omnium poſtremo poſterioris hu-
jus, ſiue ſecundi Libri, ſub finem fere
ıæc habet Seldenus: *At verò & in Mari,
quod Iſlandiâ eſt multò Septentrionalius, im-
erium & dominium Regis Magnæ Britanniæ
comperitur. Nimirum in Groenlandenſi. Hoc
enim Mare nondum occupatum nec piſcato-
rias artes paſſum, ſingulari balænarum captu-
râ, patrum memoriâ, quæſtuoſiſſimum primo
reddi-*

reddidêre Angli, qui Moscovitici corporis mercatores hâc navigabant. Maris ità nondum occupati usus & ejusmodi quæstus primò repertus, repertori tam corporis quàm animi possessione id sibi alterius (ut heic Angliæ principis) nomine vindicanti, ad modum vendicationis dominium tribuit non aliter atque aliarum quarumcunque rerum possessarum prima & naturalis & civilis possessio. Respicit hic Seldenus eas Anglorum navigationes boream versus, quibus ad Moscos primo per mare boreale iter detectum aditusque apertus in ostium Duinæ fl. ad S. Nicolai vicum sive monasteriolum. Hoc præcipue factum sub an. Christi 1553. cum in Cathaiam Angli per mare hoc hyperboreum iter quærerent, ductu Hugonis Wil-logbæi, qui rigenti frigore enectus non rediit. Sed ab eo secũdus Richardus Chancellirius, loco inveniendæ Cathaiæ, ad Moschos, quod jam dixi, iter aditumque aperuit, occasioque fuit, ut Angli, impetratis à Mosco immunitatibus, suas eo merces navigiis detulerint, quas Russi antea per Nervam & hostiles Poloni regiones difficulter acceperant. Hinc societas Moscovitica apud Anglos instituta, nec admissi aliquamdiu, vivente Basilide Mosco, nisi Angli. Postea, succedente filio Theodoro

Cambd. ad eum an.

Johanni-

Johannide, id mutavit; nec impetrare ab eo Regina Elizabetha potuit, ut Angli ſoli, idque ſine vectigali, eò appellerent, quamvis primi viam illam aperuiſſent. Iniquum enim fore Theodorus reſpondit, aliis permittere, alios inhibere. Eſſeque æquale inter populos jus uſurpandum, nec commercia, quæ jure gentium omnibus eſſe deberent communia, in monopolia & privatos paucorum quæſtus convertenda. Interea quod ad vectigalia, promiſit ſe alterâ parte minora à ſocietate Anglicâ, quàm à ceteris exacturum, quandoquidem primi per id mare viam aperuiſſent. Itaq; annis jam pluribus non minus huc alii Hollandique quam Angli adnavigant, commerciaque ſua exercent in portu non modò S. Nicolai, ſed Archangeli quoque, ac Colæ in oppido. At quod inde imperium ac dominium eodem in mari vindicandum Anglis aſſeverat Seldenus, ad id jam olim ab aliis reſponſum reperio; præſertim cum non Angli ſolum, ſed & Galli, Hiſpani, Cantabri, Flandri & Batavi jus hîc gentium obtendant: & Angli eam navigationem ab eo, quod jam indicatum eſt, tempore, ad annum uſque MDCVIII, maximam partem intermiſerint. Quin & conſtat ad Spitſbergam, ubi Vide Tab. Geogr.
præcipua

præcipua eſt balænarum captura, niſi anno demum 1612 delatos, & ſigna ibi ab Hollandis erecta, qui illis priores locum eum occupaverant, diſjeciſſe omnia ac diſturbaſſe. Quod nec inficiari ipſi Angli queunt. Quæ res præcipue arguit, quàm ſint, quæ obtendantur adverſus jus gentium & primas humanitatis leges, infirma ſingula nulloque nixa fundamento. Sed hæc taliaque, cum Anglis jam olim abunde ſatisque (quæ hîc præterit Seldenus) demonſtrata ab aliis reſpoſitaque ſint, illud ſolum addam; fruſtra hîc ab iiſdem, quæ facta eſt ab illis, circa annum 1553, has in oras obtendi navigationem, cum longe jam ante gentium aliæ hos tractus, hocque mare coluerint ac frequentarint. Quis enim Nicolaum & Marcum Zenos, natione Venetos, equites auratos, hîc jam olim ſub an. 1380, & ante, qui ſequuti ſunt, Corteſios, Gabotios, Veraſanos, Gomeſios navigaſſe; hocque, ut ſic dicam, volviſſe ſaxum, ignorare poteſt, harum rerum boreique tractus aliquatenus intelligens. ut omittam, qui ævo vetuſtiſſimo è mari mediterraneo, perque Herculis fretum in hunc ſeptentrionem progreſſus Pytheas Maſſilienſis, ac Thulem inſulam, Iſlandiam nunc dicimus, prætergreſſus in mare hocce devenit.

Quod

Quod & idem à glacierum, quæ innatant ei grumis frustisque, *mare pulmoneum* nominavit; Adamus exinde Bremensis, vocabulo gentis boreæ, appellari Leberzee, id est *mare jecoreum*, eâdem, quâ Pytheas, similitudine insistens, ostendit, ut alibi memoravimus. Sed omnes omnium hac de re contentiones sopiet ac tollet Norwegiæ Rex Danus, qui sibi ob piscationem marisque ejus sive littoris usurpationem deberi vectigal jam olim significavit, quod & Angli hoc nomine negotiatores cum agnovisse memorentur, facile inde, cuinã debeatur maris ejus dominium, colligere sit. Et sane Daniæ Regum, qui Norwegiæ nunc etiam Reges censentur, Gronlandiam esse; fuisseque olim à Norwegis non aliter ac hodie solet Islandia, navigatione frequentatam, demonstrat Danorum historiâ. quæ sub annum 1348 adeò sævam ac diram per omnes propemodum orbis plagas grassatam pestem memorat, ut multi in Daniâ Norwegiâque pagi colonis exhausti agros desertos atque incultos reliquerint, & tum quoque post epidemicam illam luem, fuisse intermissam ac neglectam, quæ ad oras Groenlandiæ solennis antea atque annua fuerat, incolarum Regni Norwegici navigationem. Et observatu

Tabul. Geog. P. B. in descript. Spitsbergæ.

ſervatu dignum eſt, quod ex actis ejuſdem Regni conſtat, accuratam hodieque haberi præſulum apud Gardenſes in Gronlandiâ Catalogum ad hos uſque, de quibus jam dixi, & paulò ultra annos. Initium enim Catalogus idem à ſeculo undecimo ſumit deſinitque in annum a nato Chriſto milleſimum ſupra quadringenteſimum & ſextum. Quem ego Indicem (quia apud omnes hæc obvia non ſunt) è re exiſtimavi his quàm proximè ſubjicere. Eſt autem ejuſmodi:

EPISCOPORUM GARDENSIUM GROENLANDIÆ

Ab anno 1152, *ad annum* 1436,

CATALOGUS.

Ericus præeſt circiter 1152.
Arnoldus, poſtea epiſcopus Hammerenſis Norwegiæ.
Jonas I. conſecratus 1204
Jonas II conſ. 1209.
Helgo conſ. 1212.
Nicolaus.

Olavus.

Olavus.
Torderus electus 1308.
confirmatus 1309.
Arno consecratus 1314.
Alpho 1324.
Bertholdus.
Gregorius.
Andreas.
Johannes, aliàs *Jonas*, ordinat. 1351.
Henricus.
Andreas 1406.

Quorum penultimi, qui est *Henricus*, in Rebus Regis Olavi, qui, Reginâ Margaretâ natus, Daniæ Norwegiæque Rex fuit, mentio occurrit ad annum 1386. Ubi interfuisse Comitiis Neoburgensibus in Fioniâ memoratur unà cum archiepiscopis Lundensi & Nidrosiensi; itemque episcopis *Johanne* Ripensi, *Suenone* Burglaviensi, *Jacobo* Viburgensi & *Johanne* Slesvicensi. ut verisimile sit continuisse se sub Comitiorum tempora ut plurimum, episcopos illos, vel in Norwegiâ vel Daniâ; atque inde vergente æstate in Groenlandiam reversos. quamvis & hoc credibile, ob impeditas ac difficiles in eandem oram ac portus navigationes trajectione postremò prohibitos. Nam intermissæ in eam ter- (Vide hist. nostram Danicam.)

L ram

ram navigationis cauſam alii conjiciunt non tam in eam, de quâ memoravi, epidemicam luem, quàm in glacierum copiam, quæ ex Trollebottis tantâ congerie lapſu temporum coacervata, ut omnem omnibus introitum jam uno circiter alteroque ſeculo negaverit: adeò ut frivola ſit, quam olim adoleſcens audiviſſe me Romæ ex quopiam memini, geographiam è publicâ ibidem cathedrâ profitente, hanc ſcilicet navigationis in Gronlandiam negatæ occaſionem eſſe, quod Norwegiæ Regnum, neglectis Romanæ eccleſiæ ſacris, Lutheri doctrinam aſſumſiſſet, atque ità irâ numinis obſeptam eam hæreticis viam, ut nunquam exinde eos vel adierint Norwegi vel ab eis quidquam acceperint, cum hoc, ut modo ex dictis patuit, longe ante natum Lutherum uſu venerit. Sed & illud omitti hîc minime debet, ad demonſtrandum, haudquaquam ad alios quàm Reges Norwegiæ pertinuiſſe jam olim pertinereque quidquid hoc maris tractu terrarum inſularumque occurrit; quod portuum ibi locorumque nomina, præter recentia quædam, quæ hodie & heri ab exteris adinventa additaque, Norwegici idiomatis ſint; cujuſmodi occurrunt in ipsâ Spitsbergâ, ut de eâ nunc tantum dicam, *Cloſ-*

ſeſond,

ſeſond, Iſeſond, Louwſond, Hornſond: quales hodieque paſſim appellationes, *fretum* ſignificantes, apud Norwegos ac Danos obviæ habentur. Ibi enim, *Carſond, Molſond, Gronſond, Oreſond, Langeſond*, & in orâ extremæ Germaniæ ad Balthicum mare *Straleſond* reperitur. iis autem in vocibus ſingulis *ſond*, ut dixi, *fretum* notat.



AD LECTOREM

HIs, quæ Libro secundo diffusè disceptata à Seldeno sunt, quoque ea potissimum tractantur, quæ Facti habentur; sicuti Priore, quæ sunt Juris; sic satis discussis, nunc ad ulteriora veniamus. Nàm duo hæc sibi Seldenus perpendenda proposuerat; Et hoc quidem, quod Juris est, Libro priori; quod Facti, secundo persequuturus: quamvis & id quod Facti sive historiæ est, non pauca sibi admista etiam habeat, quæ Juris sunt, ipso id non diffitente Seldeno; & vice versâ. Tamen ne in totum quæ hujus sunt, id est, Librum priorem intactum & à nobis quasi non inspectum habuiße insuper videamur, paucis ei, per capita, nec tamen omnia, sed saltuatim ac tumultuarie, quod dicitur, adjectis Discussionibus atque Observatis aliquot, colophonem Disceptationi universæ imponemus.

DISCUS-

DISCUSSIONUM HISTORICARUM

LIB. II.

CAPUT I.

Maris universi dominio nullum juris genus obsistere, quod putat Seldenus, an locum habere possit, quæsitum.

POstquam Libri hujus prioris primo statim Capite opus suum distribuisset Seldenus in ea, quæ *Juris*, quæque *facti* sunt, concludit sub finē, quod ad prius, nullum omnino juris genus recte intellectum refragari Maris dominio. Et ut simul constet, quænam sint ea, quæ Maris dominio reluctentur, & quænam adversus illud soleant objici, persequitur ea omnia Libri, quem dixi, prioris Capite 2. Atque inde ne ignoretur, cujusmodi intelligat mare, ostendit Cap. 3. definitque se *Mare hîc intelligere universum & tam ocea-*

num apertum, ſeu exteriora quæ ſunt Maria, quàm quæ interiora ſunt, veluti Mediterraneum, Adriaticum, Ægæum, Britannicum, Balticum, & quæ ſunt id genus alia.

Quibus eum in modum poſitis, adducere hoc loco operæ pretiun exiſtimo atque ei continuo & veluti in anteceſſum opponere, quid olim ſuper his ſtatuerit illuſtriſſima Anglorum Regina *Elizabetha*, reſpondens legato Hiſpanico, qui res à Draco in Indico Oceano captas repetitum advenerat. Fateor quidem jam antea & ſuperius mentionem quoque hujus reſponſi feciſſe me, ſed hîc quia maxime quadrat, repetendum obiter puto. In eo ſiquidem demonſtrat Regina, Hiſpano nec ex donatione pontificis Max. nec ex occupatione quorundam locorum proprietatem Indici maris aut Indiæ univerſæ competere, quod ejuſmodi donationis ac proprietatis vindicariones ex jure ipſo nihil ſint atque imaginariæ; *Cum* præſertim (ità habent ejus verba) *præſcriptio ſine poſſeſſione haud valeat, & ideò nihil obſtare debere, quo minus ceteri principes commercia in illis regionibus exerceant, & colonias, ubi Hiſpani non incolunt, jure gentium nequaquam violato, deducant; & oceanum illum uaſtum libere navigent, cum maris & aeris uſus omnibus ſit communis.*

Vide hiſtor. G. Camdeni ad an. 1580.

nec

nec jus in oceanum populo aut privato cuiquã possit competere, cum nec naturæ nec usus publici ratio occupationem permittat. Quæ sane heroinæ tantæ, ac Deæ, si ità loqui liceat; quã homini similioris fæminæ, verba ejusmodi sunt, quibus refragari velle aut obluctari, eandem præsertim sententiam adstruentibus, qui sunt in manibus, juris peritis fere universis, quid sit aliud, quàm quod dicitur, contra torrentem niti, ac rejicere, quod placeat omnibus? aut ei applaudere, quod rejiciunt propemodum universi?

CAPUT II.

Maris universi ac terræ dominium penes summum esse numen. Ea neque possessa unquam, neque ejus eße naturæ ut possideri ab uno aut cludi queant.

DIfferit deinde ac disputare pergit Seldenus cap. 6. ejusdem lib. 1. ex jure divino. & id quoque favere dominio Maris asserit. Sed respondendum, eatenus id fieri, quatenus aliquid ejus esse capax potest. Mare autem, si ejus vastitatem videamus,

amus, esse numinis ac Dei omnipotentis ex psal. 115. constat. Nec mare tantum, sed & Terra, hoc pacto sumpta, numinis esse psalmistæ eidem dicitur, cum *Terram esse domini at plenitudinem ejus, & montium cacumina esse ejus* demonstret psal. 24. Sed occurrit Seldenus, dupliciter considerari dominium ostendens: Et primo quidem dominii genere nihil omnino nedum Mare, esse in hominum bonis; secundo omnia esse aut esse posse quæ prehendi, occupari possideri queunt. Ubi probè dicitur, quæ prehendi, occupari ac possideri queunt. At horum neutrum, si dominium spectemus, vel in Terram, vel Mare, universaliter accepta, cadere posse jam ostensum; præsertim cum neque naturæ, neque usus publici ratio occupationem permittat. occupationem dico, quæ ab uno aliquo fiat. Nam de partibus singulis, deque maribus particularibus nemo negaverit, alicujus esse ea dominii posse. At orbem universum, sive seorsim etiam Mare, sive Terram consideremus, quis ea occupata aut possessa ab uno unquam uniusve subjecta imperio vel fando audivit, vel legendo comperit? Romanum imperium, ut & Assyriorum ac Græcorum, quàm vastum fuerit, quis ignorat? Attamen quantulum id fuerit, si Orbem

bem universum respiciamus? Tum & idem Romanum imperium quomodo corruit, nisi mole & magnitudine suâ, ut tradunt authores? Quod itaque sub finem ejusdem Capitis 6. injicitur, *Mare non minus ac Tellurem dominii privati capax esse*, lubenter concedimus, si de mari singulari id capiatur, nequaquam si de universali. Nam neque tellus ipsa sive terræ globus, si universim sumas, id admittat, ut jam monstratum est. Sic mare Mediterraneum, quod particulare erat mare, recte id authores Romanis tribuunt. Hinc Florus lib. 3. cap. 6: *Tiberius Nero* (qui è legatis erat Pompeianis) *Gaditanum fretum, qua primum Maris nostri limen aperitur, obsedit.* *Maris* inquit *nostri*, ut intelligatur *Mediterraneum*, quod erat scilicet in potestate Pompei seu Romanorum. Unde & Mela de eodem agens lib. 1. cap. 1: *Id omne, quà venit, quaque dispergitur, uno vocabulo nostrum Mare dicitur.*

 CAPUT

CAPUT III.

Marium particularium apud Seldenum enumerationem, eorumque dominium, ad vasti oceani dominium momenti parum adferre; imo & particularia maria, quæ vastiora sunt, imperio perdifficile contineri ostensum:

HInc sequentibus Capitibus, quæ sunt apud Seldenum IX & X, perplura enumerantur maria, sed particularia omnia, cujusmodi *sunt Minois* seu *Cretense*, item *Lydiorum*, *Pelasgorum*, *Thracum*, *Rhodiorum*, *Phrygum*, *Cypriorum*, *Phænicum*, *Ægyptiorum*, *Milesiorum*, *Carum*, *Lesbiorum*, *Phocensium*, *Corinthiorum*, *Jonum*, *Naxiorum*, *Eretriensium*; ac denique *Æginetarum*, qui Mare obtinuerunt annos XX, usque ad transitnm Xerxis. Quæ tamen omnia cum particularia & à singulis ut singularia esse defensa retentaque aliquandiu constet, nihil adferre roboris possunt ad inducendum, quod hîc quæritur. Nam concludere particularia Maria dominii esse capacia, & ideò vastum quoq; illum ac universalem oceanum subjici

jici imperio posse, vim argumenti non habere satis liquet. Nam & contra ostendam, ne particularia quidem maria eorumque sinus, præsertim capaciores, nisi summâ difficultate ac vi majori haberi sub alicujus dominio posse; exemplum, præter cetera, præbente nobis Polybio, qui demonstrat Carthaginenses adeò quondam maris sui dominatos, ut ne Romanis, sociisque eorum, ultra Africæ id promontorium, quod Pulchrum est dictum, navigare permiserint. Unde & Festus in voce *Tyria* de Pœnis hæc habet: *Tyro oriundi Pœni, adeò potentes Maris fuerunt, ut omnibus aliis mortalibus navigatio esset periculosa.* At corruisse id quidquid imperii erat, prævalentibus Romanis, quis ignorat?

CAPUT IV.

De Maris olim apud Massilienses, qui omissi Seldeno, itemque Vennetos dominio: ejusque periodo.

VErum inter eos, qui Maris dominati antiquissimis illis seculis fuêre, haud fuerant Seldeno omittendi Massilienses. Quàm enim ii maris non tantum sui, quod in

in Tyrrhenum quâm longissimè excurrit, gnari potentesque circumquaque fuerint, sed ultra etiam navigationes instituerint, docet Pytheas Massiliensis. Hic siquidem, superato Herculis freto, postquam Gades esset prætergressus, universum propemodo septentrionem lustravit; Thulen, quæ hodie Islandia dicitur, adiit; & totum eum boreæ tractum Græcis inter primos aperuit. Nec alium habuit, quem hîc sequeretur, authorem ille ut vetustissimus ità celeberrimus Mundi delineator Eratosthenes, qui Pitheæ pene verba singula ut oracula æstimavit, referente, inter ceteros, Strabone. quamvis addat idem, ad elevandam Pytheæ fidem, miratum Polybium, quomodo ille homo privatus & paupertinus exsequi ejusmodi aut sustinere navigationes potuerit. Quod quam facile refelli possit, cum ex conjecturâ magis, quam vero referatur, quis non agnoscat? tum & reponi queat, neque privatum neque pauperem fortasse fuisse Pytheam, sed in comitatu ac societate negotiatorum, aut aliàs, qui tum in Galliis & apud Massilienses rerum potirentur, principum virorum missu eam instituisse profectionem. Sed ne solus ego (ut obiter hoc, licet extra rem nostram, hîc addam) pugnare pto Pytheâ

videar,

videar, ecce insignis ille Strabonis ipsius commentator *Isaacus Casaubonus*, discedens hac parte à suo magistro; nec ei contra fas & æquum in totum volens applaudere, ad locum superiorem, qui ex Geographiæ ejus primo est adductus, ubi, inter alia etiam *virum mendacissimum Pytheam* Strabo idem appellat, ità infit: *Scripserat Pytheas Terræ Periodum sive Periplum: & quia in Galliâ natus erat, de partibus septentrionalibus plerique eum auctorem amplectebantur. ut qui de vicinis regionibus potuisset fidelius, quàm ulli Græci ante eum fecissent, scribere, præsertim, qui, ut ipse ajebat, totam exteri ac borei maris oram lustrasset &c. neque sane dubium multa eum Græcos docuisse, quæ prius ipsi ne audivissent quidem: cujusmodi sunt, quæ de Thule scripserat, quam non esse aliam, quàm quæ Islandia hodie dicitur, facile doctis viris assentior. Eratosthenes verò Pytheam tanti fecit, ut singulas ejus sententias singula esse oracula existimasse videatur &c. quod cum Polybius aliique magni viri & Eratosthenes κριτικώτεροι animadverterent, viderentque Pytheam falsa multa tradidisse etiam de iis, quæ Græcis hominibus nota erant atque explorata, ità cæpit Pytheæ fides esse suspecta &c. adeoque factum est, ut ne in iis quidem, quæ ab ipso verè scripta erant, ei fides ab iis-*
dem

dem magnis viris haberetur &c. Hæc si cogitasset Beccesselenus quidam, nunquam profecto tam stultus fuisset, ut Strabonem maximum præstantissimumque scriptorem, propter hoc de Pytheâ judicium, damnandum ac despuendæ (sic enim loquitur) temeritatis pronunciaret &c. Hactenus Casaubonus. Et ut Massilienses hac Galliæ maritimâ orâ, quæ meridiem spectat, ità ad alterum Galliæ ejusdem littus, quod boreæ est objectum, circa Ligeris ostium, mari præcipue potentes ac clari Venneti (Vannes hodie) fuerunt. De quibus Seldenum etiam & nos superius suo loco dixisse memini. Sed hîc, quia maxime spectant, advocabo super illis verba Cæsaris, ut constet Galliæ vires ac copias maritimas hisce vel maxime duobus locis antiquitus constitisse, circa Massiliam dico & hocce, in quod se Liger exonerat, boreum mare; ubi egêre tum, qui Cæsari, ut dixi, Venneti, appellati. Verba Cæsaris ista sunt: *Hujus civitatis* (Vennetorum) *longe est amplißima auctoritas omnis oræ maritimæ regionum earum. quod & naves habent Venneti plurimas, quibus in Britanniam navigare consueverunt: & scientiâ & usu nauticarum rerum ceteros antecedunt; & in magno impetu maris atque aperto, paucis portubus interjectis, quos tenent ipsi, omnes fere qu*

Cap. 2. ad Lib. 2.

Lib. 3. de bel. Gallico.

qui eodem mari uti consueverunt, habent vecti-gales. Hinc idem naves eorum formamque earum ità describit: *Ipsorum naves ad hunc modum factæ armatæque erant. Carinæ aliquanto planiores, quàm nostrarum navium, quo facilius vada ac deceßum æstus excipere possent. proræ admodum erectæ atque item puppes, ad magnitudinem fluctuum tempestatumque accommodatæ, naves totæ factæ ex robore, ad quamvis vim ac contumeliam perferendam, transtra ex pedalibus in latitudinem trabibus, confixa clavis ferreis, digiti pollicis craßitudine. anchoræ, pro funibus, ferreis catenis revinctæ. pelles pro velis, alutæque tenuiter confectæ, sive propter lini inopiam, atque ejus usus inscitiam; sive, quod est magis verisimile, quod tantas tempestates oceani, tantosque impetus ventorum sustinere ac tanta onera navium regi velis non satis commode arbitrabantur*. Sed hoc Vennetorũ in mare dominium, viris ac classibus undiquaque armatum munitumque qualecunque fuerit, cecidit tamen finemque habuit, ubi Cæsar identidem id concutere vi majore terrâ marique non cessaret. Unde & victi mox; gravius in eos, quàm alios vindicandum idem statuit, quod legatos ejus contra jus legatorum retinuissent. atque ideo omni senatu eorum necato, reliquos sub corona

corona vendidit, quamvis evaluisse post-modò, & ab his præcipue, quà se longissimè in Hispanos exporrigit, GALLICUM MARE nomen traxisse verisimile sit, teste, quem iterum iterumque in hanc rem advocavi, Tacito, ubi ait in vitâ Agricolæ: *Siquidem Hibernia medio inter Britanniam atque Hispaniam sita, & Gallico quoque mari opportuna, valentissimam imperii partem magnis invicem usibus miscuerit.* Sed de eo propius nonnihil in sequentibus.

CAPUT V.

Hammonis Pœni navigatio. itemque Hispaniensium: & Arabum ex mari suo in Hispaniam, transito bonæ spei promontorio, profectiones maritimæ.

ADducit deinde & alia Seldenus, & Capite præsertim XIII, ubi de mari dominio agit, quod penes Spinetos, Pad accolas, fuit; deque eo, quod exercuêre o lim per quadraginta aut circiter anno Carthaginenses. Quam in rem quæ ab e allata fusius sunt, hoc loco repetere, actu sit agere; illud tantum memorabo, quo

eju

ejus diligentiam fugisse video, *Hannonem* scilicet *Pœnum, Carthaginis potentiâ florente*, (verbà sunt Plinii) *circumvectum à Gadibus ad finem usque Arabiæ, navigationem eam prodidisse scripto.* Et ne miremur Bonæ spei Promontorium, quod ignorasse Ptolemæum constat, illis jam ante temporibus circumnavigatum, Refertur ab eodem Plinio, in sinu Arabico, res ibi gerente C. Cæsare Augusti filio, signa navium ex Hispaniensibus naufragiis reperta agnitaque. *Hispaniensibus* dicit, ut intelligantur naves, si non Hispanæ, saltem ex Hispaniâ profectæ. Ità enim vox *Hispaniensis* apud authores accipienda. Et ità Martialis vocat *librum* suum *Hispaniensem*, quod esset in Hispaniâ scriptus, nec tamen Hispanus. Quin & Arabibus quoque, quod alibi nobis ex Plinio item memoratum est, non cognitum modò, sed præternavigatum quoque hoc promontorii colligere ex eo est, quod ætate Cornelii Nepotis Eudoxus quispiam, cum Lathyrum Alexandriæ Regem fugeret, Arabico sinu navibus egressus Gades usque pervectus memoretur. Nam sane sinu Arabico, qui aliàs Rubrum mare dicitur, excedens, pervenire Gades continuâ navigatione haud potuit, nisi transito, quod est jam indicatum, promontorio

Lib. 2. cap. 67.

Ibid.

Lib. 12. Epist. 1.

Lib. 2. cap. 23. Rerum & Urbis Amsteld.

torio. Et præter has omnes haudquaquam erat ſilentio involvenda ſummi Regum Salomonis ad Ophyranam regionem inſtituta navigatio. Sed ubi terrarum hęc regio ſita ſit, & an alio etiam nomine cognita habeatur, hactenus ignoratum fuit. σώφειρα & σουφιρ legunt LXX interpretes. Joſephus eam in Indiâ ponit. Eupolemus author apud Euſebium TERRAM AUREAM χρυσῆν γῆν ſuo tempore vocatum ait; Eſſeque Maris Rubri Inſulam. Unde Marius Niger eam AUREAM CHERSONESUM Ptolemæi eſt interpretatus. Quod eo uſque Maris Rubri nomen olim pertigerit. Sed cum adeò hîc varii authorum ſenſus diſſenſuſque ſint, paucis abſolvi hæc nec iſto loco poterunt. Differemus igitur aut rejiciemus hoc ipſum in calcem diſputationis hujus, ubi adducemus nonnulla ſuper iis, qui navali præcipuè gloriâ excelluerunt, præmiſſâ quod ad Ophyræ hanc regionem non minus quàm ad eam, quæ eſt inſtituta, navigationem, Diſſertatiunculâ, ſive Commentarius eſt, *Gaſperis Varrerii Luſitani*: qui plures ante annos eâ de re accurate agens libellum eum, ad Johannem & Sebaſtianum Portugalliæ Reges miſſum, typis deſcribi ac evulgari Eboræ curavit.

Lib. 9. cap. 4. Præp. Evang.

CAPUT

CAPUT VI.

Populi vocis apud authores nõ una acceptio. aliud portuum ingressiones marisque vestibula, aliud apertum publicumque mare.

CEleberrimis populorum jam dictorum navigationibus eorumque in Mari dominio addit deinde Seldenus, populi Romani quodnam fuerit, tam in Occidente quam Oriente, marinum dominium. Ac primò omnium ostendit, Cap. XIV, Romanos Carthagine tum demum potitos, ac superiores redditos, postquam dominari maris cæperunt.

Sed mare id littusque utcunque diffusum accipiatur, finibus tamen suis ac metis circumscriptum constitit. Hîc navigare, ædificare aut quid aliud in domini præjudicium constituere, interdictis vetabatur; *At si nemo damnum sentiret, defendebaturis* (sunt verba Ulpiani) *qui in littore ædificaret, aut molem in mari jaceret.* Et statim idem Ulpianus: *Si quis in mari piscari aut navigare prohibeatur, non habet interdictum; quemadmodum nec is, qui campo publico ludere,*

vel in publico balneo lavare, aut theatro spectare arceatur. Omnibus his casibus injuriarũ actione utendum est. Seldenus qui aliorsum hæc trahere nititur, vocabulum δημόσιον, quod est apud Jurisconsultos Græcos, non ità accipit, quasi publicum & omnium hominum pariter commune notet, sed δημόσιον inquit est, quod populi est, nec omnibus hominibus æque commune: & eo sensu mare quoque vult esse publicum. At quod populi est, nonne id cujusque est? Quod autem est cujusque, quomodo id omnium hominum pariter commune non sit? Populi autem vocem authoribus Latinis ità usurpatã, ut ad omnes promiscue referatur, demonstrat eorum non unus locus: & præsertim ille Senecæ Epistolæ 105: *ut garrulitatem suam custodiat, & contentus sit unius auribus, populum faciet:* ubi *populus* promiscua est multitudo. Hoc qui non intellexerunt, contra codices omnes, *publicum faciet*, legendum apud Senecam existimarunt. At iterum Seneca Natural. Quæst. lib. 1. cap. 3: *Sunt specula quibus si unum ostenderis hominem, populus apparet.* Et Plinius lib. 2. cap. 7: *quamobrem major cœlitum populus etiam quàm hominum intelligi potest.* Sed videnda quæ luculentius hac de re notata olim nobis ad l. 7. c. 1. Macrobii nostri.

Hinc

Hinc Cap. XV. multa adferuntur à Seldeno de Maris orientalis jure & vectigalibus quæ ei erant imposita; sed cum omnia ea singulaq; eo recidere videã, ut circa portus, seu, ut Græci vocabant, prothyra, id est, vestibula atque ingressus marinos constiterint, ad publicum seu apertum mare nihil faciant; aliisque & quibus libet, excutienda relinquimus.

CAPUT VII.

Enumerata aliquot peculiaria maria earum gentium, quæ hodie florent, aut floruêre nuperrime.

NEc aliud respondere habeam ad ea, quæ ab eodem disputantur cap. XVI. de maris dominio in gentium, quæ etiamnum florent, moribus,, ut sunt Venetorum Mari Adriatico; Genuensium Ligustico; Tuscorum Tyrrheno & demum Mari Ecclesiæ Romanæ sive Romani pontificis. Nam suum cuique mare sive littus competere ex jure, quod gentium vocatur, nisi obstent alia, nemo inficias iverit. Et eorum, quos enumeravimus, populorum, uti fuerunt vel prosperæ vel adversæ res, ità

fortunis ac ditionibus terrâ marique modò auctos modò minutos comperimus. Venetis olim, quo tempore classibus quàm maxime valebant, paruere Istri, Liburni, Dalmatæ atque Illyrici ora; multæque item nobiles Græciæ insulæ & urbes; Cyprusque cum Eubœa Cretâque. At modò, versâ fortunâ, ut illis, ità & aliis nonnullis, minus hæc ampla omnia.

CAPUT VIII.

Garciæ Iurisconsulti sententia posita, eaque aliter quàm à Seldeno accepta.

DE Lusitanis item & Hispanis eorumque receptis circa Maris dominium moribus, quod deinde sequitur apud eundem Capite XVII, minus capio, quod dictum istud Garciæ Jurisconsulti Hispani, *Mare est, cujus est terra cui adjacet*, de Mari aliquo accipi posse concedit futile autem esse si in universum sit dictum. Nam ei Seldeni effato nonne adversari dicendum, quod statuit deinde ipsemet cap. 21; ubi dicitur, *ejus esse cœlum seu aerem, cujus est solum*. Et illud ibidem: *aeris perpetuo*

petuo fluitantis is civiliter dominus est, qui fundum & ædes possidet. Si hæc circa aerem, cur non etiam, quod ad mare, locum habeant? Sed hæc aliena & alios spectant.

CAPUT IX.

Privatorum aliquot marium à Seldeno enumeratorum recensus. deque singulis obiter nonnihil dictum.

PRoxime deinde insequenti capite 18. agitur disputaturque de Gallorum moribus sententiisque super maris dominio privato. Hoc absolvitur Capite isto, quod est in ordine 18. Et maxime ibi haud prætereunda Seldeni hæc verba: *Sed quod ad septentrionalis Gallis occiduique illis maris corpus attinet, seu quod Gallias & Britannicas insulas interluit (nam etiam id quod in littore illo arcuato occiduum eis est, seu sinus Aquitanicus, Britanniarum nostrarum Galliarumque partes occidentaliores revera interluit æque ac boreale illis mare Angliam & Normanniam) nec testimonia ulla anterioris ævi afferunt, nec omnino habent. Nisi quod de Vennetis Aremoricis ex Cæsare, & quod de*

 proximo

proximo Britanniæ minoris littori mari dictum est mari, velis heic excipiendum. Ubi illud tantummodò notandum, dum omnia hîc aliorsum trahit, nihil propemodum relinquere eum vicino ejus maris, quod Galliam & Britannicas insulas interluit: meminisseque eum debuisse MARIS, quod GALLICVM κατ' ἐξοχὴν Tacitus appellavit in vitâ Agricolæ. De quo repetenda inspiciendaque, quæ superius capite quarto, itemque libro priore diximus, Cap. nimirum VI, et si quæ alibi eodem libro eandem in rem propius attulimus. adeò ut liquere ex iis satis queat, omnino præter Vennetos eisve vicinum littus, etiam boream atque occidentem versus imperitasse olim mari Gallos. Quod ex Taciti jam indicato loco MARIQVE, quod is tantopere celebravit, GALLICO, haud quaquam prȩtereundũ Seldeno fuerat. Nec magnopere immorandum Capiti, quod superiori est proximum, 19. Quod privata itidem Maria attingit, Danorum, Norwegorum, Suecorum, Polonorum, ac Turcarum. Sed quod inde concludendum Seldenus inducit, nihil obstare quo minus Mare æque ac Tellus dominii capax sit, concedemus, si de mari littoreve cujusque regni, ditionis ac territorii circumscripto
ac

ac privato accipiatur, negabimus verò idem acceptum de magno illo vastoque ac sine terminis, ut sic dicam, mari.

Seorsim autem, quæ de Maris dominio Danorum privato referuntur eodem à Seldeno loci, ista sunt:

Danorum & Norwegorum visimus in vectigalibus quæ ex ipsâ Maris Baltici navigatione Regi Daniæ proveniunt (quæ notissima sunt) atque ex Norwegici maris dominio Norwegiæ Regi (qui & ipse, seculo nostro Daniæ est) tributo. Nam & Fredericus II Daniæ & Norwegiæ Rex mercatoribus nostratibus corporis Moscovitici, anno MDLXXXIII, ità usum temporalem Maris Hyperborei seu Norwegici indulsit, ac si usum fructum agri (cujus sibi plenum vindicasset dominium) concessisset. Etiam, ex suo arbitratu, indultum conditionibus temperavit. Extant de hac re Tabulæ publicæ, quibus annuo vectigali compensatur Regis beneficium, mercatoribus aliis denegatur, & induciarum inter Moscum & Regem pactarum fine terminatur. Etiam in vetustis Danorum historiis de Haraldo Hildetano Rege legitur, sed nec quisquam Maris dominationem absque ejus nutu usurpare præsumsit. *Et proxime subjicitur quod est imprimis ad hanc rem notandum*, Quippe quondam in Danorum republica dividuum

In Thesauro Cottoniano.

 Terræ

Terræ & Pelagi imperium fuit; Et Olo (qui postea Rex) à patre accepta pelagi dominatione LXX maritimos reges nauticarum virium certamine consumpsit. *Quæ scribit Saxo lib. historiæ suæ 7, uti & alia ejusmodi. Et in transactione Haffniæ habitâ an.* 1613, *inter Christiernum Daniæ IV & Gustavum Adolphum Sueciæ*, renunciat Rex Sueciæ juri & superioritati & dominio Maris aliisque Regalibus, quæ in Norwegia, Norlandia & districtu Wardhusensi ad dictum oceanum vindicaverat. *Hactenus Seldenus.*

Quæ cum recitare prolixius Seldeno libuit, haud omittenda fuerat aut prætereunda Regis ejusdem Haraldi classis, qua ille cum Ringone nepote suo, quem Sueciæ præfecerat, congressurus, quasi alter Xerxes, texisse navibus fretum illud, quod est inter Selandiam & Scaniam, Oresundam dictum, Saxoni memoratur: Et ità texisse, ut pontis vice naves essent; utque in oram adversam Scaniæ è Selandiâ pediti per naves iter pateret. Verba Saxonis ista sunt: *Igitur frequens Danicâ classe pelagus, Sialandiam Scaniæ veluti intersito ponte committere videbatur. Quas quidem provincias intermeare cupientibus confertissimo navium globo pedestre*

Lib. 8. hist. Dan.

stre

ſtre compendium exhibebat. Ejus utriuſque oræ, interluente freto, diſtantiam ab invicem haud multò Anglico miliari eſſe minorem, ſciunt ii, qui Porthmum eum aliquando præſentes contemplati fuere. Et ut conſtet quoque, quas ex adverſo vires viroſque Ringo adduxerit, refert idem ibidem claſſem ejus ultra duo navium millia reperta fuiſſe. Ità enim exinde addit, *Ceterum in tota Ringonis claße navium duo millia quingenta reperta ſunt.* Nec illud quoque ſilentio involvendum erat, ad laudem ac celebritatem navigationis, quâ præcipue olim Dani excelluêre, haud leviter pertinens, quod nauticæ leges ac jura, ut olim apud Rhodios Rhodia, de quibus mox dicetur, hinc initio profecta ſint. Certo etenim conſtat in urbe Wiſbuenſi, quæ Gotlandiæ, Balthici maris inſulæ, metropolis eſt, maritimas conſtitutiones ac Leges, quæ exinde apud alias quoque gentes in uſum traductæ, primitus fuiſſe conſtitutas: Nec id modò, ſed ibidem etiam primò tabulas hydrographycas diligenti nautarum obſervatione adnotatas, quæ poſtea ab aliis auctæ emendatæque ſingularem uſum præbuerunt navigationibus, utpote quarum beneficio cæci maris fluctus medio in oceano tuto nauta percurrat

Lib. 8. hiſt. Dan.

currat

currat, feraturque in portum propositum non longis anfractibus legendo littus, sed rectâ sæpe lineâ, si ventus ferat.

CAPUT X.

De natura maris & aeris quæsitum; ostensumque, non omne aut qualecunque mare, sicuti nec aer aut cœlum, posse dominio subjici.

QUod exinde ad Caput xx spectat, quo respondetur objectionibus de libero mercatoribus, peregrinis, navigantibus transitu, cum præcipue jus cujusque populi respiciat, deque eo fusè nec uno modo]disceptent jurisconsulti, hîc præteribimus. Sicuti nec illud magnopere retractandum nobis, quod habetur Capite statim insequenti, quod in ordine vigesimum primum est. Ubi similiter objectionibus occurrit Seldenus, de Naturâ maris fluxili. agitque ac commonstrat, flumina etiam & aerem conterminum (quæ magis fluxilia) in proprietatem transire. Hæc, inquam, minutatim attingere constitutum haud est. Interim illa eo Capite verba: *Cum igitur fluminum proprietas & domini-*

um

um privatum nullibi non agnitum fuerit, cur non itidem & Maris cujusque agnoscendum est, dominos esse posse? Ubi *maris cujusque* sive *mare quodcunque*, non privatum modò, sed & publicum & universale intelligendum sit. at hoc posterius, ex allatis superius, haud esse ejus naturæ, quâ littora mariaque privata, satis liquere potuit; liquebitque ac dicetur jam statim uberius. Et illud quoque ibidem: *Cujus tamen* (aeris perpetuo fluitantis) *civiliter dominus plane est, qui fundum & ædes possidet*; Sicuti & ista: *in opere novo nunciato, tam soli quam cœli mensuram esse faciendam, ait Pomponius*; Et id item: *Obvium est, ejus eße cœlum seu aerem, cujus est solum*, saniter &, ut debent, accepta nihil incommodi habent; nec juvent Seldenum, ulterius laxiusq; procedentem accipientemque. Restringenda etenim ad ædes sive ædificia sunt, quibus pro modo ac proportione, & aliquando etiam pro jure cujusque suis relinquitur prospectus & aeris cœlique modulus. Hinc servitutes enatæ, de quibus disputant jurisperiti, quousque nimirum attolli vicinorum ædes earumque protendi tecta debeant, ne vel luminibus vel prospectui vel simili commoditati alterius, qui in proximo habitat, officiant. At universim sumpta, & ut

ut titulus videtur innuere, quasi aer in proprietatem etiam transeat, locum non habeant; Et ideò providè additum à Seldeno, *conterminus* scilicet *aer*. Qui, ut jam dixi, haud ulterius in verbis jurisconsultorum, quæ sunt allata, quàm ad prospectum & lumen cuique ædificio ex lege ac jure debitum trahendus. Nam cœlum aliàs ac ac aerem, qui patet cuique, haud posse in proprietatem alicujus transire, rei natura ostendit: tum & Tacitus verbis, quæ sunt legatorum Tencterorum ad Agrippinenses, ista scilicet: *ad hunc diem flumina & terras & cœlum quodammodo clauserant Romani*; quodammodo, inquit, cœlum clauserant, quod ejus scilicet naturæ cœlum sive aer sit; ut claudi nequeat, nisi eo, ut diximus, modo.

4. Histor.

CAPUT XI.

Littora quomodo ut limites capiendi? item mare, licet vastissimum, an capax dominii?

HInc propius ad rem veniens Seldenus ait Capite 22. *finium rationem aut in littoribus considerari aut in diffuso æquore*. Et quidem

quidem quod littora ſpectat, miratur virum doctum non admittere, ut etiam littora fines ac limites legitimi ſint habendi, ſicuti foſſæ, vepres, maceriæ aliaque talia in agrorum finibus. Hunc virum doctum Hugonem eſſe Grotium ex marginali annotatione patet; ubi liber ejus laudatur ſecundus cap. 2. §. 3. de jure pacis & belli. At eo loci Grotius de mari loquitur, quantum ego conjicere poſſum, diffuſo & vaſto, & cujuſmodi jam ante finierat. Ità enim verba ejus habent: *Naturalis ratio quæ mare conſideratum ut diximus proprium fieri vetat; quia occupatio non procedit niſi in re terminatâ &c.* Sed ea quæ præcedunt, à Seldeno omiſſa, ità habent: *Eſt tanta maris magnitudo, ut ad quemvis uſum omnibus populis ſufficiat, ad aquam hauriendam, ad piſcatum, ad navigationom. Idem dicendum eſſet de aere, ſi quis ejus uſus eſſe poßet, ad quem terræ uſus non eſſet neceßarius, ut eſt ad aucupia: unde illa legem accipiunt ab eo, qui in terrâ imperium habet. Nec aliud cenſendum de ſyrtibus, ubi nihil eſt quod cultum ferat, & uſus unicus petendarum inde arenarum exhauriri nequit:* Tum addit continuo: *Eſt & naturalis ratio quæ mare conſideratum ut diximus proprium fieri vetat, quia occupatio non procedit niſi in re terminatâ.* At mare, inquies,

inquies, utcunque vastum ac magnum accipiatur, tamen terminum ac littus suum habebit. habere concedam: sed non ut littus illud velut limes sit magni illius æquoris, quod terram, aut globum terræ universum, circumfluit, verum ut aspectus semper referatur ad sinum aliquem maris certum, qui vel hoc vel illo censeatur nomine. Sic Atlantici illius ac maris diffusi quàm multi hujusmodi sinus sive flexus sunt, qui Baiæ vulgo nominantur, ut alia nunc non dicam. Nam ad hæc respondere, cum ad alium spectent, ut supervacuum, ità nec muneris nostri putem. Esse enim suorum verborum interpres quisque debet, præsertim si in vivis sit, *nec adhuc mortalibus occubet umbris*, ut ille ait. Hugoni igitur Grotio ipsi τῷ θαυμαστῷ, vescenti etiamnum æthereâ aurâ, hæc, et si quæ alia eum spectantia, inspicienda propius permittimus.

Inde ad diffusum ac vastum mare procedens Seldenus, id quoque limitibus suis ac terminis posse distingui ac claudi, non minus quàm privata dominia demonstrare conatur, præmissis verbis aliquot, quæ sunt ejusmodi: *In diffuso autem æquore vix est difficilius terminos ac limites, quibus distinguantur privata dominia, invenire. Scopulos*

emmen-

eminentes, brevia, adversa invicem promontoria, insulas hinc inde sparsas habemus, è quibus linearum rigores, versuræ, coxæ, gammata sumantur; ad territorium marinum terminandum. Atque inde, adductis Ethici inepti cosmographi verbis, qui universo terræ Orbi maria aliquot, oppida, insulas, fluminaque & montes fere haud plures tribuit, quàm vel una edat Europa, finitionem, cujusmodi animo concepit, adstruere nititur; adjiciens interim disputare se nolle, quàm illa ab Ethico verè recensita. Verba enim Ethici hæc sunt: *Omnis terræ Orbis habet Maria 30; oppida 370; insulas 72; flumina 57; Montes 40.* Quocirca, missis istis, ad alia transit, & à cœlo, quod negare solum videatur, sibi desumendum existimans hæc continuo subjicit: *Accedit egregiæ Nauticæ pyxidis & graduum cælestium sive longitudinis sive latitudinis, atque ex hisce doctrinæ Triangulorum auxilium. Etiam in coloniis ex Europâ in Americam ævo nostro deductis, latitudinis & longitudinis gradus sunt possessoribus termini; quales in Mari non difficilius habentur. Tropicus item Cancri & æquator in mari fuêre termini, quibus finiri voluêre aliqui fœdus inter Ordines Belgii fœderatos & Austriacos anno* MDCVIII, *contrahendũ. Et in fœdere inter magnæ Britanniæ &*

N Hispa-

Hispaniarum Reges nupero Æquator est in mari terminus. Ubi, inter cetera, attendendum vel maxime ad illa verba: *quales in Mari non difficilius habentur*. non difficilius nimirum, quàm in terrâ. Quod haudquaquam concedendum ei, imo re & experientiâ docente, summo jure negandum. In terrâ figi pedem, exstrui munitiones, deduci colonias, limites finiri videmus. quod ea scilicet omnia, utpote in solido posita, tum & præsidiis, aut aliàs, defensa defendendaque, mansurum aliquid pollicentur habentque. At in Mari, adeò diffuso ac vasto & modò malaciâ tranquillo, modò ventis sævientibus turbido, quomodo locum habeant? At inquis, in cœlo quem signant limitem Tropicus & Æquator, eundem in terrâ obtinere: Concedam, si limites accipiamus, cujusmodi in cœlo sunt lineæ omnes atque orbes, imaginarios, ad demonstrandum nimirum & velut prehendendum, quod aliàs naturâ suâ fluxum & vastitate quasi immensum neque concludi neque prehendi potest: utpote in quo neque figere pedem, neque sedem, nisi momentaneam, ponere liceat. Hîc aliquod sibi adscribere dominium quis potest, nisi quod dicitur, OMNES, cum omnibus pateat, & modo huic, modò illi, pro-
ma

mari quisque valet, sui copiam permittat? Nam suum esse ecquis dicere andeat, aut jure possit, cujus possessionem non habet? imo neque haberi possessio queat? Quapropter iterum iterumque advocanda Reginæ Elizabethæ, cujus non semel superius meminimus, prudentissimę voces effatumque, ad rem istam proprie spectans, istud nimirum: *Neque jus in oceanum populo, aut privato cuipiam possit competere, cum neque natura, neque usus publici ratio occupationem permittat.* Camdenus ad an. 1580.

Sequitur deinde apud Seldenum eodem hoc Capite, *Unde Hieronymus de Monte:* Termini in cœlo & aere positi sunt tempore Alexandri Papæ VI inter Lusitanos seu Portugalenses & Castellanos, dividendo insulas Indiæ tunc noviter repertas, per lineas graduum cœli; & quidquid reperiebatur à parte Orientali erat Portugalensium, & à parte occidentali, erat Castellanorum. *Certe hic non magis Telluris partes, sive insulæ sive continentes, quàm Maris spatia mensurabantur finiebanturque.* Quàm Seldeni ex antecedentibus inductionem nemo Logicus facile admittat, ut talis hic maris ac vasti oceani, cujusmodi telluris intelligenda mensuratio; neque ex iis deduci posse concedat. Loquitur enim

 juris-

jurisconsultus de terræ partibus, sive eæ insulæ sive continentes sint. quas ait ad cœli gradus climataque seu lineas transscribi cuique debere. ità ut quidquid ad plagam ortivam pertineret, cederetur Lusitanis; quod ab occasu esset, Castellani acciperent; acciperent inquam non mare aut æquor aliquod in vasto Oceano, sed insulas terramque continentem, extra mare oceanumque, sub hoc vel illo cœli positu collocatam; quæ coli quæque teneri posset. Cujus naturæ, ut jam iterum iterumque indicatum, mare haud est.

Lib. 1. cap. 10. de Repub.

Hinc proxime illa Bodini verba citat Seldenus, hæc inquam: *jure quodammodo principum omnium Maris accolarum communi receptum est, ut sexaginta millaribus à littore, princeps legem ad littus accedentibus dicere possit.* Quod quàm strictè, quove hodie modo servetur aut non servetur, disputandum hîc non sumam, alii has partes relinquens: illud tantum monebo, præcedere apud Bodinum quædam, studio, ut videtur, omissa Seldeno. Ità enim habent Bodini verba: *Sed quoniam æquor ac mare ipsum privatorum proprium esse non potest, jure quodammodo principum omnium Maris accolarum communi receptum est, ut sexaginta milliaribus à littore, princeps legem ad littus*

tus accedentibus dicere possit &c. Ut satis istis etiam Bodini verbis & ejus, si qua e potest, autoritate pateat, haud aliter, am memoravimus, accipiendum hoc aris dominium; nec ultra littus aut eum, i dominii esse capax potest, migrandum iitem.

Adducit item Seldenus divi Ambrosii id: *Geometram audivimus, Thalaßome-m nunquam audivimus*: adijciens ei-n hanc notam: *lusus sane est vocabulo-n magis, quam argumentum in rem, quam ctamus.* *Et de variis variorum piscium si-untris sive regionibus à Deo destinatis in ano, non de civili maris distributione ibi uitur vir sanctissimus:* Quam hîc capiat denus *civilem maris distributionem*, cum s esse incapacẽ magnum Oceanum jam e monstraverimus, anquirere ulterius ersedebo. Cetera verò quod spectat, cedamus, respicere præcipue sanctissi-n virum quod sibi argumenti loco pro-ierat; interim negari nec id potest, in-disse etiam id, maris nimirum sive O-ni non esse nec haberi dimensionem e, cujusmodi in terrâ habetur servatur-, colonias, limites tum & sedes cuique attribuens inq; eum modum præscri-s, ut dicere cum poeta liceat, *has ultra*

citraque nequit consistere rectum. Est enim mare, ut obiter hoc addam, res indeterminata, quia liquida. Liquida autem per se non terminantur, ut docet Aristoteles; Et ostendit ubertim Grotius lib. 2. cap. 2. §. 3. de jure belli & pacis; & ideo nec posse occupari; nisi ut contenta in re aliâ; quomodo lacus & stagna occupantur; item flumina, quia ripis tenentur. Mare verò terrâ non continetur, par terræ aut terrâ majus. Majus autem terrâ esse exequitur late Cicero in somnium Scipionis, ubi hæc legas: *Omnis terrâ, quæ colitur à vobis, angusta verticibus, lateribus latior, parva quædam est insula, circumfusa illo mari, quod Atlanticum, quod magnum, quem oceanum appellatis in terris, qui tamen tanto nomine quam sit parvus, vides.*

Quæ deinde sub finem ejusdem Capiti memorantur de universali Romanorum dominio adductis his Petronii versibus:

Orbem jam totum victor Romanus habeba
Quà Mare, qua Terra, quà sidus curri
utrumque.

Et illâ vetustâ Inscriptione de Octavian Augusto: ORBE MARI ET TERR PACATO, IANO CLAUSO &c. no ulteriu

ulterius trahenda, quàm ad Orbem Romanum, ut totus ſcilicet Romanus orbis fuerit pacatus. Nec Petronii etiam verſus ulterius accipiendi. ut nimirum victor Romanus orbem totum tenuerit, qui erat imperii, tam verſus occaſum quàm orientē. Nam à meridie Euphrates, à boreâ Rhenus & Danubius limitem ſignabant. Quantillũ autem id, ſi cum toto, quà patet, terrarum orbe contendatur. Quocirca provide ac circumſpecte in eâdem re Florus voculam *pene* addit, cum inquit, *jam pene toto orbe pacato*.

CAPUT XII.

De dominio Maris & Telluris, & quomodo ea ab imperatoribus ſumpta.

NEc aliud eſt quod ſequitur, cap. XXIII, ubi inter cetera Flavius laudatur Joſephus, judæus ac juriſconſultus apud Hebræos ſui ævi celeberrimus, qui Cæſarem Veſpaſianum *dominum* appellat *tam Maris quam Telluris*. Dominum ſcilicet appellavit tam Maris quàm telluris, quatenus nimirum utrumque Romano continebatur imperio. Et quod additur, *affe-*

ctasse regnum tam Maris quam Telluris Alexandrum Magnum; rectè dicitur affectasse, id est, spe & animo præcepisse &, quod dicitur, quasi devorasse; cujus tamen quam exiguum erat, quod tenuit, aut obtinere potuit! Et ille, qui nostro aut superiori ævo symboli vice usurpabat superbum istud, UNUS NON SUFFICIT ORBIS, quàm tamen tenue & minutum fuerit, si cum universo comparetur, quod nostri ac noti Orbis tenuit! Quod verè ignoti sive novi Orbis sibi paravit, id multò minus esse, nec sine rivali hoc ipsum possidere potuisse, res ostendit. Nam equo, qui nummo ejus triumphali inscribitur, primoribus elevatis pedibus, quasi alium in Orbem prosilituris, subscriptum, aut ab adversario ejus, novo nummo cuso adscriptum, QUO SALTAS INSEQUAR. Ex quibus liquere sat posse existimo, quod etiam superius obiter innuimus, cum ne Orbis quidem terræ dominii in totum capax sit, multò id minus de Mari sive oceano statuendum sperandumque, re, ut indicatum, liquida & ad occupandum minime idoneâ: utpote in quâ neque figi pedes aut sedes queant. Et quid orbem universum dico? imo ne pars quidem ejus aliqualis hoc sustineat.
Nam

Nam Romanum imperium, quod monarchias ac dominatus ceteros vel solum superavit, quid labefecit postremò pessumdeditque, nisi moles & magnitudo ejus, quâ tandem corruit?

CAPUT XIII.

Iterum de Mari; & quatenus id vel proprium vel non proprium habeatur.

Ait porro Seldenus cap. 24: *Quod itidem dicendum est de Mari, quiquid sive veteres illi, sive etiam sequaces* (jurisconsulti) *in adversum scriptitaverint.* Vult nimirum inferre atque adstruere Seldenus, cum libertas scilicet illa vetus primævaque, invadendi atque usurpandi, quod occurreret, jam dudum sublata sit, idem quoque accipiendum de Mari. Sed respondendum paucis: Hoc ipsum neque de Mari omnino negandum, neque à nobis negari, quatenus id ejusmodi sit, ut eam libertatem seu communionem non admittat. At eam à mari vasto oceanoque quis unquam arcuit, aut arcere potuit? Scimus enim qui imperium habet in terras & a- Pag. 175 edit in 8.

quas, ejus lege edictisque posse impediri aliquos, ne feras, pisces, aves capere & capiendo acquirere ipsis liceat; ac eâ teneri lege non indigenas tantum sed & exteros quoque. Ratio est, quia loci natura spatiumque admisit, ut id, quod fuerat jam ante commune, in proprium jus dominiumque cesserit, aliàs inquam commune omnibus ac liberum. Unde non semel in jure Romano occurrit, jure naturæ ac gentium liberum esse feras, pisces & aves venari, sed tandiu, quousque aliter statutum ab iis, qui res, cujusmodi fuerant in primævo statu, cum se jam esse earum potentes posse viderent, aliter atque aliter immutarunt. Nam de talibus alias aliasque gentes aliud, nec unum statuisse omnes, constat.

Quod autem sub capitis ejusdem 24 calcem adijcitur ex epitaphio *Frederici* II Augusti imperatoris, cujus scilicet tumulo talis versus inscriptus legitur:

Qui Mare, qui terras, populos & regna subegit,

quasi ex eo authores ejus statuere voluerint, nec Maris dominium (sunt verba Seldeni) à Telluris populorumve dominio discre-

difcrepare; Nec id magnopere diffitendum, modò intra metas confiftamus; & res de mari locifq; dominii capacibus accipiatur. Subegit regna, fubegit populos terrafque & Maria *Fredericus* imperator, fed non omnia, non univerfa, fed ea, quæ fubigi, quæque haberi in poteftate potuerunt.

CAPUT XIV.

Excutitur prolixè Refponfum Imperatoris Antonini, de lege Rhodiâ.

CApite deinde xxv prolixe difputat Seldenus de Refponfo Antonini Augufti ad Eudæmonem. quo *ille imperator fe dominum quidem Mundi*, legem autem effe dominum Maris memorat in L. *deprecatio, ff. tit. de lege Rhodia*. Nec eo quidquam reperiri ait, quod Maris dominio omnino refragetur. Sed ejus genuinum fenfum fugiffe hactenus interpretum turbam ait. Libello enim fupplice Eudæmon naufragus ab imperatore petierat, ut bona naufragii fui à publicanis direpta fibi reftituerentur, idque his verbis, quæ ex Volufio Mæctiano ab intimis Imperatori confiliis recitantur,

citantur, iſtis ſcilicet: Κύριε Βασιλεῦ Αντονῖνε ναυφράγιον ποιήσαντες ἐν τῇ ἰταλίᾳ, διηρπάγημεν ὑπὸ τῶν δημοσίων τῶν τὰς κυκλάδας νήσους οἰκούντων. *Domine Imperator Antonine; Naufragiũ in Italia facientes, direpti ſumus à Publicanis Cyclades inſulas habitantibus*: reſponſum ab Imperatore redditum ejuſmodi Ἐγὼ μὲν τοῦ Κόσμου Κύριος ὁ δὲ νόμος τῆς Θαλάσης. τῷ νόμῳ τῶν Ροδίων κρινέσθω τῷ ναυτικῷ, ἐν οἷς μή τις τῶν ἡμετέρων αὐτῷ νόμος ἐναντιοῦται. τοῦτο δὲ αὐτὸ καὶ ὁ Θειότατος Αὐγουστὸς ἔκρινεν. id eſt, ut vulgo vertitur: *Ego quidem mundi dominus, lex autem Maris. Lege id Rhodia, quæ de rebus nauticis præſcripta eſt, judicetur quatenus ei nulla noſtrarum legum adverſatur.* Ex quibus videretur intelligi, imperatorem quidem Terrarum Orbis dominum eſſe, non autem Maris; ſed hujus legem tantum, non hominum quemquam eſſe Dominum. Sed addit ex Alciato, qui ità interpretatur: *Dum dicitur, Ego quidem Mundi dominus, Lex autem Maris, quidam Gallici doctores exiſtimabant propter adverſativum, Maris imperium ad Imperatores non pertinuiſſe. Quod ſane perridiculum eſt: tametſi Baldus & Jaſon hac ratione exiſtimaverint Venetos Romano imperio ſubditos non eſſe. ſenſus autem hujus legis is eſt, res ſcilicet maritimas lege Rhodiâ finiendas. Nam cum imperator ſit mundi*

mundi dominus, certe non Terra tantum; sed Mare ipsius legibus parere debuerat, & ipse in eis leges statuere: cum tamen in Mari non lege propria judicet, sed Rhodia, quæ ab eo est approbata. Intellige ergo, dum dicitur: Ego Mundi Dominus, *quia orbem terrarum ex lege mea rego.* Lex autem, *intellige Rhodia;* Maris, *quoniam ex ea jus in Mari redditur.* Sed detur ait Seldenus, ità respondisse, ut vulgo vertitur; Ergone sibi negat Maris dominium, quia legem affirmat Maris dominam? haud quaquam; cum ipse in terra Mundi adeoque legis ipsius dominus & arbiter sit. Quod ipsi placuit, Lex erat &c. Inde aliorum præterea interpretationem adducit, qui sensum verborum ad hunc modum reddunt: *Quamvis ego sum Mundi dominus & imperator atque ita legibus solutus, neque tenear ex præcepto aliquo subditis respondere, adhuc tamen lex sit domina & Regina Maris, id est, rebus quæ in Mari acciderunt, imperet mari, cum pertineat ad res Nauticas. neq; fiscus præferatur cũ subditorũ damno, sed fisci & privati æqua lãce debet tractari justitia, & ideo respõdere tenebitur fiscus:* ità Franciscus de Amaya in Regio Granatensi senatu fisci Regii patronus. At Johannes Igneus sensum vult esse, ut Antoninus expressim dicat tam maris legem quam Mundi

Mundi dominum ſeipſum eſſe. *Ego quidem mundi dominus, lex autem ſum etiam & Maris.* Quæ omnia quomodocunque accipiantur inquit Seldenus, dominii marini negationis ne veſtigium quidem uſpiam admittitur; ſed ipſum etiam Maris dominum eſſe imperatorem ſatis adſtruunt.

At contra vir doctiſſimus clariſſimuſque Samuel Petitus Gallus, etiamſi interpretari atque illuſtrare conatur reſponſum ut vulgo habetur, Imperatoris Antonini, tamen alium poſtremo ſubeſſe ſenſum hariolatur. Cujus ſententiam atque expoſitionem licet eodem hoc Capite non prætereat etiam Seldenus, tamen quia ad manus ſint ejus Miſcellanea, unde ea Seldeno deſumpta, verba hîc ipſa Petiti ponam, quæ ità habent:

Miſcel. lib. 3. cap. 11.

Non ſatis diligenter excuſſa ſunt quæ refert ex lege Rhodia Voluſius Mæcianus lib. IX D. de lege Rhodia.

Eudæmon ad Imperatorem Antoninum:

Græca ſuperius poſita ſunt.

Domine imperator Antonine; Naufragium in Italiâ facientes direpti ſumus à publicanis Cylades inſulas habitantibus.

Anto-

Antonini Imp. Responsum.

Ego quidem Mundi dominus, lex autem Maris (ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης) Lege id Rhodia quæ de rebus nauticis præscripta est, judicetur; quatenus ei nulla nostrarum legum adversatur. hoc idem divus quoque Augustus judicavit.

Quid hîc monstri est, eos qui in mari ad Italiam naufragium fecerunt, à publicanis, qui in Cycladibus sunt insulis, direptos fuisse? naufragium facientes in Italia, direpti sumus à publicanis Cyclades insulas inhabitantibus. *Quænam hæc est Cosmographia? Unde publicani Cycladum insularum ad Italiam? Præterea non negat Antoninus, se maris dominum esse, ut non possit leges dicere iis qui navigant; vides enim velle jus dici Eudæmoni, & publicanis, qui in Cycladibus insulis, ex lege Rhodia; neque item dicit se ità teneri hac lege Rhodia, ut non possit omnino Eudæmoni succurrere adversus hanc legem, si quid illi fiat injuriæ, sed vult Eudæmoni judicium reddi ex hac quidem lege, ità tamen ut Romanarum legum nulli adverse tur hæc lex. Atque ex his manifesti satis arguitur vitii hic locus, de cujus porro emendatione agendum restat. Rescribendum itaque putamus:* ναυφράγιον πο-

ιήσαντες

νησαντες ἐν τῇ τηλίᾳ, διηρπάγημεν ὑπὸ τῶν δημοσίων, τῶν τὰς κυκλάδας νήσους οἰκούντων. i. naufragium facientes in Telio direpti sumus à publicanis Cyclades insulas habitantibus. *Corruptio hinc manavit: scriptum olim,* ἐν τῇ τηλίᾳ, *quod cum non intelligerent homines libris corrumpendis nati, mutarunt in* τὸ, ἐν τῇ Ἰταλίᾳ. *Emendationis ratio hæc est. Telus erat una è Cycladibus. Stephanus* τῆλος, νῆσος τῶν κυκλάδων, ἀπὸ τήλου οἰκιστοῦ, τὸ ἐθνικὸν τήλιος, Ἀνδροτίων ἐκτῳ Ἀτθίδος. *Dixit autem Eudæmon,* ναυφράγιον ποιήσαντες ἐν τῇ τηλίᾳ, *supple* θαλάσσῃ, *naufragium fecimus in mari* Telino, *sive ad insulam* Telum, *quæ ut diximus una erat de Cycladibus, itaque publicani, qvi in insulis Cycladibus erant, undique advolarunt, ut diriperent merces, quæ naufragio peribant. Sequitur in Rescripto Antonini ad Eudæmonem;* Ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος, ὁ δὲ ἄνεμος τῆς θαλάσσης, τῷ νόμῳ τῶν Ῥοδίων κρινέσθω τῷ ναυτικῷ *&c. id est,* Ego quidem Mundi dominus; at ventus (*ὁ δὲ ἄνεμος*) maris. Lege id Rhodia quæ de nauticis rebus est, judicetur *&c. Quærebatur Eudæmon se naufragium fecisse; & præterea merces suas in naufragio à Publicanis fuisse direptas. At prius respondet Antoninus, se quidem Orbis dominum esse; sed tamen vento imperium in mari:* Ego quidem Mundi dominus,

at

at ventus (ὁ δὲ ἄνεμος) maris. Lege id Rhodia, quæ de nauticis rebus est, judicetur &c. *Quærebatur Eudæmon se naufragium fecisse; & præterea merces suas in naufragio à Publicanis fuisse dereptas. Ad prius respondet Antoninus, se quidem Orbis Dominum esse, sed tamen vento imperium esse in mari:* Ego quidem Mundi dominus, at ventus Maris. *neque à se legem vento poni posse: itaque ne faceret naufragium Eudæmon, à se præstari non potuiße. Quod ad alterum verò attinet, jubet, ut ex Lege Rhodiâ cum Publicanis judicio experiatur.* Hactenus Petitus.

Ex quibus apparet duplex mendum insedisse pauculis illis verbis. Et primo quidem pro *Italia* legendum *Telia*, cùm non in Italia, sed circa Telum & illas Cycladum insulas naufragium illud contigerit. Et denique pro ὁ δὲ νόμος, id est, *lex*, faciendum levi mutatione, ὁ δὲ ἄνεμος, id est, *ventus*. Quæ omnia si admittantur, ejusmodi sunt, quæ meo animo sensum rei commodissimum ac convenientissimum exhibitura videantur.

Seldenus nihilominus, licet cosmographiæ emendationi assensum libentissime præbiturus videatur, lectionem tamen veterem receptamque Responsi Cæsarei mutandam non existimat, exceptâ duntaxat

interpunctione. Sic enim deinceps loquitur:

Punctorum sæpissime ratio nulla habita est in codicibus priscis, neque usus ullus. unde posteris deinde syntaxis confusio. Perquam exigua autem eorum heic mutatione sensus mihi redditur non solum in deprecationis rem appositus & manifestus, verum etiam tum somnio illo de Maris dominio Imperatori ibi negato, tum commento de Marino legis dominio expressim ibi tradito plane liberatus. Nec quod voluit imperator satis assecutos esse hactenus interpretes, in animum possum inducere. Nam quid hoc ad rem? Ego sum Mundi dominus quidem, lex autem Maris domina. *Si de lege generatim dicatur, certe lex æque erat & continentis domina. Etiam in Continente, ut in pelago, legis omnimodæ dominus ipse Cæsar. Atque ita sane nihil ad deprecationem hactenus attinuisset responsum. Si de lege Rhodia intelligas, eo sensu ut eam legem esse maris dominam vellet imperator (quemadmodum Alciatus) quid illud est quod sequitur? Lege Rhodia finiendam rem, quatenus Romanarum legum nulla adversetur. Anne Lex Rhodia simpliciter Maris domina, quæ nihilominus, etiam dum eo insignita est titulo, legibus Romanis est coercenda? Concoqui hæc nequeunt. Interpunge igitur, aut ad hunc modum:*

dum : Ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος. ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης. Τῷ νόμῳ τῶν Ῥοδίων κρινέσθω τῷ ναυτικῷ ἐν οἷς μή τις τῶν ἡμετέρων αὐτῷ νόμος ἐναντιοῦται. *id eſt*, Ego quidem Mundi dominus. Sed verò hujuſmodi ſeu illa lex ; ſeu Mos eſt Maris. Lege Rhodia decernatur nautica; quatenus eidem noſtrarum legum nulla adverſatur. *Aut ſic:* Ἐγὼ μὲν τοῦ κοσμου κύριος, ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης τῷ νομῳ τῶν Ῥοδίων *&c.* Ego quidem Mundi ſum dominus. Sed verò lex ſeu Mos ille Maris, ex lege Rhodiorum nautica, judicetur ſeu decernatur, quatenus &c. *Eudæmon Aſiaticus, Nicomedia Bithyniæ urbe Oriundus, Mari in Telio (ſeu Ægæo quod circa Telum) naufragium paſſus conqueritur bona ſua publicanos Cycladum invaſiſſe, opem Auguſti implorans; perinde ac ſi injuria ſummâ publicani ex ejus calamitate compendium ſibi feciſſent. Dominum eum ſalutat & imperatorem. Reſponſo autem dominum ſe libenter agnoſcit imperator, adeoq; dominum ut Orbis Terrarum, etiam ipſius Mundi dominatu ſuo contineri aiat. Quo etiam innuit ſuum eſſe ſupplicibus, qui injuriâ afficerentur, ſuccurrere. At verò quod ad rem attinebat querelæ, ſeu deprecationem de naufragij bonis à publicanis injuſte direptis, id non ſatis conſtare. Quippe (ſi prior lectio noſtra, ſeu interpunctio admittatur) generatim*

inquit, & regulariter mos obtinet maritimus, seu lex Maris qua Naufragorum bona ad publicanos pertinent. Nam ita ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης ille vero mos *seu* lex illa hujusmodi est maris, *refertur ad rem à publicanis gestam, quà in deprecatione breviter narrabatur. Quoniam verò mori seu legi huic maritimæ poterant esse, sive ex privilegio, sive ex bonorum qualitate, sive ex aliâ aliquâ non minus, pro re natâ, obtinente lege, temperamenta aliquot, quorum ratione forsan aut publicanis esset, hac in causâ, bonis abstinendum, aut conquerenti ob temporalem aliquam exceptionem non agendum; ideo legibus Rhodiorum navalibus, rem tam succincte nullisque circumjectis circumstantiis in libello expressam, recte voluit decernendam; sed quatenus interea leges Romanæ non adversarentur. Neque multum discrepat sensus, si posterior admittatur interpunctio & versio Mundi quidem sum dominus, & ditione meâ tam Mare quam tellus continetur. In utroque injuria affectis, ut jus exigit, libenter succurro. Sed verò quodnam sit hâc in causâ jus maritimum, & an quærenti fuerit succurrendum, decernatur ex Rhodiorum legibus quæ in mari, permittentibus nobis, obtinent, ubi nostris non reluctantur. Ad priorem autem sensum, quo lex maritima de Naufragorum bonis ac jure Publicanorum*

(id

(*id est Fiſci, cujus jus in eos translatum*) *aſſeritur, firmandum, haud parum facere mihi videtur, ſi conſtiterit ejuſmodi legem ſeu morem tunc temporis obtinuiſſe. Quod interpretes heic admittere non ſolent.*

Quâ equidem clariſſimi Seldeni expoſitione, ut omnia illuſtriora reddi, cunctaque ob oculos quàm luculentiſſime propoſi haud inficias iverim; ità an omnes ejuſmodi liberali non modo interpunctioni, ſed expoſitioni quoque, præſertim quæ poſteriori eſt loco poſita, ſuum adjecturi calculum ſint, admodum dubito. Nec video, quâ formâ ſive dicendi genere efferri poſſit, ſeque nobis probet illud, *lex maris lege Rhodiorum nauticâ judicetur*. Quid enim eſt, *lex lege judicetur*. vel *lex nautica*, lege nautica Rhodiorum judicetur? Nec temere idcirco à Seldeno aſſumpta interpretatio, ut *lex* idem ſit quod *mos*. Sed his utcunque acceptis, aut, ſi ita placet, in medium relictis, mihi, quod antea jam injeci, præcipue ſequi ſedeat, quæ jam modo ex *Samuele Petito* adducta ... emendatio quàm interpretatio; præſertim ſi ea illius conjectura aliquo meliore codice aut vetere ſcripturâ fulciretur. ... nimirum imperator ſe mundi, tempeſtatis verò ac ventum Maris agnoſcat domi-

 num

num. Etenim receptum creditumque jam olim eſt, & ità poetæ loquuntur, regnum ſcilicet hîc (id eſt, in mari) Æolũ & Neptunum tenere, cum præſertim, ut ille inquit,

Varro ſatyr. Marcipor.

Venti frigido ſe ab axe eruperunt,
Phrenetici, ſeptentrionum filii,
Secum ferentes tegulas, ramos, ſyros.

Tum inquam contremiſcunt aut jacent, quæcunque in adverſum opponas ſive pares, haud aliter quam inter arma leges ſolent. ut meritò imperator nihil ſe hic poſſe, ſed eſſe in poteſtate ventorum cuncta concedat. Eis à ſe legem non poni, neque potuiſſe præſtari, ne faceret naufragium Eudæmon. Et eo alludens ſapientiſſimus ille Cato ſenior, tria per omnem vitam accidiſſe ſibi dixit, quorum prænituiſſet: primum ſi quid arcani fæminæ credidiſſet: ſecundum, ſi navigio vectus quopiam eſſet, quo pedeſtri itinere pervenire licuiſſet: tertium, ſi quis dies ipſi per negligentiam abſque fructu effluxiſſet. Etenim navigio vehens & mari jam creditus, ſciebat in poteſtate ventorum ſe eſſe; qui cujuſmodi futuri eſſent, adverſi vel proſperi, cum ignoraret, nihil quoque de itinere ſuo ſtatuere certi poterat. Et huc quoque reſpici-

reſpiciens maximus ille Regum Canutus, Angliæ, Daniæ ac boreæ propemodum univerſi Rex, cum ſe quoque nihil adverſus mare ejuſque vim poſſe demonſtratum cuperet, acforte fortuna ſecundum littus obambularet, eſſetque Rex omnium potentiſſimus ab accurrentibus ac ceteris, qui ex domeſticis atque aulâ aderant, ſalutatus; idque univerſi, qui circumſtarent, comprobare viderentur, ille & vultu & manu indecoram ſalutationem reſpreſſit, & tali præterea argumento coarguit, Veſte enim exteriore in terram depoſitâ ac ſuper convolutâ ad littus maris ſedens, vel, ut alii, ſede regiâ in littore poſitâ, alluentem oceani undam his cæpit verbis increpare; *Tu mare ditionis meæ es, & terra, in quâ ſedeo, es mea; impero tibi ac denuncio, ne in terram meam aſcendas, nec membra, aut veſtem domini tui madore perfundas.* At mare nihilominus æſtu inſurgens totum permadefecit. Tum ille ad ſuos converſus, *Videtis*, inquit, *quem Regem potentiſſimum appelletis, qui ne illas quidem aquarum guttulas cohibere atque imperio meo poſſum remorari? Solus itaque univerſi conditor ac rector Deus hoc honore ac nomine compelletur.* Quâ erga ſummum rerum moderatorem, animi demiſſione neſcio an quiſquam Chri-

ſtianorum principum præferri Canuto debeat, certe Antoninum hîc etiam, cognomento licet Pium, pietate ſuperavit. Nam ut ille Maris dominum, non ſe quidem, ſed, ut poſitũ, ſuperius ventum ventorumque vim agnovit; ità Canutus ulterius aſcendens, etiam mare ipſoſque ventos, rerum ſupremo arbitro, Deo ſubjecit. Quod ipſum eleganti mehercule epigrammate expreſſum aliquando à ſe Scriverius noſter, & ad me miſſum, cum latere amicum noluerit, etiam hîc apponendum cenſui. Sed priuſquam appono, ipſa Seldeni verba, cujuſmodi ea lib. 2. cap. 12. Maris Clauſi, ex Chronico Huntindonienſis & Florilegi ad an 1035. expreſſa ab eo habentur, præmittam, quæ ſunt iſta: *Canutus autem Rex ſuæ ditionis eſſe Oceanum Britannicũ verbis expreſſiſſimis item eſt teſtatus. Is in littore Southamtonienſi, ad æſtum maris, ſedili poſito diſcumbens, ut etiam Reges ipſos homines eſſe aſſentatoribus manifeſtaret, Mari æſtuanti ad hunc modum imperaſſe fertur:* Tu meæ ditionis es, & Terra in qua ſedeo mea eſt. Nec fuit qui impune meo reſiſteret imperio. Impero igitur tibi, ne in terram meam aſcendas, nec veſtes, nec membra dominatoris tui madefacere præſumas. Mare vero de more conſcendens,
pedes

pedes Regis & crura sine reverentia madefecit. *Unde Rex resiliens neminem Regis nomine dignum esse pronunciavit præter eum unicum, cujus nutum tam Mare quàm Terra observaret. Neque postea auream coronam induere voluit, sed imagini Servatoris cruci affixæ consecravit. Ipsum se interea Maris dominatorem, æque ac insulæ, esse palam est heic professus.* Hucusque Seldenus. Jam, quod dixi, Carmen, partem priorem & quatenus res ipsa à chronologis est indicata, graphicè exprimens, est ejusmodi:

Ad Regem quicunque MARIS IUS *deferet omne,*
Et Mare claudentis sentiat esse capax:
Discat ab exemplo Regis meliora Canuti:
Assentatores discat inepta loqui.
OCEANUM *inspectans, residensque in littore curvo*
REX, *Maris instantem cedere jussit aquā:*
Disce, inquit, leges; & habenas disce Britannas:
Quantulacunque, meā sub ditione fluis.
Ut Terræ dominus, sic & Maris esto Canutus:
Serviat adstrictis Ennosigæus aquis.
Et JUBET *(ô nullas sortite Tridentifer aureis;*
O vana, & rapido verba ferenda noto!)

STA MARE, STA: *præscripta tibi ne limina transi:*
Hanc certè pictam tangere parce togam.
Dixerat: insurgunt decumanis fluctibus undæ,
Nec dubitant sacros Regis adire pedes,
Ille abit indignans, madidusque aspergine ponti,
Arbitrii non est res, ait, ista mei.
NUMINIS *est quodcunque fluit Mare, Numine plenum:*
Imperium salsæ Rex homo nescit aquæ.
Addidit, indignum specioso nomine Regis,
Quem nolit dominum Tethyos unda suum.
Non alius Mare quam Rector frenabit Olympi.
Quis Terræ famulas tam bene junget Aquas?
Aurea quin etiam capiti detracta corona est,
Ad Servatorem jussa redire suum.
O, utinam reddant hunc tempora nostra Canutum!
Nec, quod vir sapiens spreverat, alter amet!

P. S.

CAPUT

CAPUT XV.

Lex Rhodia, Lexque maris quid Seldeno. Deque naufragiis pauca addita.

COnnectit continuò superioribus excutitque Seldenus eodem isto Capite XXV. lib. I. quid de naufragis eorumque bonis senserit olim, statueritque idem Antoninus. ut nimirum hoc pacto ostendat, locum esse posse interpunctioni suæ, de quâ jam modò dictum, ut & interpretationi, quâ voluit, ut *lex maris* intelligeretur atque aliud haud esset quam, *mos maris*, seu, *mos maritimus*, si nimirum palam fecisset, eum tum (hoc est tempore Antonini) obtinuisse morem, ut in fiscum scilicet ac jus publicanorum bona naufragorum rejicerentur. Quod ut clarius pateat; ipsa advocanda ponendaque Seldeni verba sunt, quæ, loco jam indicato, ità habent:

Cæterum ipso Antonini hujus Augusti ævo (Antoninum Pium intellige, quem scribit Julius Capitolinus, in jure sanciendo usum fuisse Volusio Mœtiano Jurisconsulto, è cujus libris, Deprecatio & Responsum, quod tractamus in Pandectas transscriptum est) legem seu morem

rem de Naufragorum bonis fisco applicandis vim habuisse, non obscuris colligitur ex indiciis. Omnia fere, quæ in Pandectis occurrunt de eis pristino domino servandis, è Paulo, Callistrato, Ulpiano. qui compluribus annis post Antoninum hunc floruêre, desumta esse manifestum est. Nonnihil etiam ad eandem rem è Prisco Javoleno, qui Antonino huic coætaneus. Sed imperavit Augustus hic annos XXII, *& sanctione, ut videtur ex Javoleno, fiscalem hac in causâ rigorem mitigavit. Unde facile evenire potuit, ut sub eodem & vis ineße potuerit legi seu mori, qualem diximus; atque sub eodem potuerit sive abrogari sive mitigari. Constitutio principalis, quæ in codice Justinianæo, hac in specie, nolit se interponere, ab Antonio Contio, Jureconsulto præstantissimo, Antonino Augusto ex autoritate codicis veteris M S. tribuitur; tametsi in editis Constantini nomen præfigatur. Verba sunt:* Si quando naufragio navis expulsa fuerit ad littus, vel si quando aliquam terram attigerit, ad dominos pertineat, Fiscus meus se non interponat. Quod enim jus habet fiscus, in aliena calamitate, ut de re tam luctuosa compendium sectetur? *Etiam & sub Adriano, hujus, per adoptionem, patre ejusmodi quid rescriptum esse docet Ulpianus:* Licere unicuique (*sic Ulpianus*)

Lib. I. C. de Naufr.

[L]. 13. ff. tit. de incendio.

anus) naufragium ſuum impune colligere conſtat, idque imperator Antoninus cum divo patre ſuo reſcripſit. *Liquidiſſima ſunt in hiſce veſtigia uſus, ſub id tempus, juris, quale diximus, fiſcalis; quod eſt contra vim reſcriptorum veterum, repullulare ſolitum eſſe certò ſcimus. Nam & ſub Theodoſio ſeniore in uſu fuiſſe illud aliquo elicitur ex Valgii, ſeu Victoris, Naufragio apud D. Paulinum.* Epiſ. 37. ad Micar. *Exempla etiam ſimilia ſunt in Imperii Romano-Germanici littore Alia adferri queant, ubi tamen leges aliquot in contrarium latæ. Quin & Rhetores priſci, tam Græci quam Latini, dum de Forenſium qui quæſtionum ſtatibus exempla adducunt, hanc ipſam legem ſeu morem de naufragio moribus aliis in Græciâ ac Romano imperio uſitatis ac vetuſtis immiſcent; velut id quod erat receptiſſimum. Sopater & Syrianus in Hermogenem:* Lex eſt ſpolia, quæ reperiuntur, ad ducem exercitus attinere; lex item, Naufragium eſſe Publicanorum. Mari proceloſo, ſpolia in portum inferuntur. Controverſia de iis oritur inter duces & publicanos. Hac in ſpecie non oportet legum lectione fruſtra torqueri, ſed ipſam rerum naturam introſpicere. Artis Rhet. Lib. 1. *Quæſtio ſcilicet eſt, ſpolia an naufragia jam dicenda hæc bona. Curius item Fortunatianus;* Quæ eſt ſimplex definitio?

Quum

Quum unam rem ſimpliciter definimus. Ut, Naufragia ad publicanos pertineant. Cujuſdam naufragi corpus cum ornamentis ad littus expulſum harena obrutum eſt. Id Publicani eruerunt. Rei ſunt ſepulchri violati. Hîc ſimpliciter quæritur, quid ſit violare ſepulchrum. *Quin ſcripſiſſe Deprecationem illam & Reſponſum Voluſium Matianum*, in libris Publicanorum ex lege Rhodia *liquet. id eſt, in recenſione jurium ſive fiſcalium ſive Publicanorum, in quibus etiam naufragii è fiſco applicandi ſive jus ſive Mos.* Quibus poſtremo addit: *accommodum eſt hiſce, ut in reſponſo illo Antonini Augusti verba illa: ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης per*; lex vero illa Maris *vertantur, ſeu* Mos ille Maritimus, *quem, ad leges Rhodias voluit ita ille exigi atque decerni, ut interea, ſi quod reſcriptum aliave lex Romana adverſaretur, ne Rhodia quidem vim obtineret.*

Quibus ex omnibus colligere eſt, Rhodiæ quidem legi, quæ de naufragiis fuit, eam vim ac mentem fuiſſe, ut bona naufragorum fiſco ac publicanis adjudicarentur; Quæ an eadem quoque ſtatuerit Pius Antoninus, quamvis aſſeverare Seldenus haud videatur, morem tamen inveteratum ejus ævo obtinuiſſe, non obſcuris indiciis poſſe colligi declarat. Nam ſane id ab eo lege

lege latâ decretum si asseveraret, obijci continuo posset, quod etiam ipsemet adducit, Adriani Imperatoris Rescriptum. quo intelligitur idem hîc ab Antonino, quod jam ante à divo ejus patre Adriano, fuisse statutum, teste Ulpiano, cujus hoc fragmentum reperitur: *Licere cuique naufragium suum colligere constat. idque Imperator Antoninus cum divo patre suo* (Adriano) *rescripsit*. ut non immeritò nec sine ratione secutus sit Antonius Contius, Jurisconsultus præstantissimus, manuscriptam potius codicis Justinianæi lectionem, qua principalis illa, quæ eodem in codice l. 1. c. de naufragiis, occurrit, constitutio, non Constantino, ut habent vulgata exemplaria, sed Antonino tribuitur: Adeò ut cetera, quæ exinde à Seldeno referuntur de more confiscandi naufragorum bona magis ex corrupta consuetudine, quæ paulatim invaluerat, quàm ex lege facta ita sit dicere. Et ea tamen ipsa an ejusmodi sint, quæ faveant multum commodentque versioni, sive interpunctio est, quæ à Seldeno tentata in illo Antonini Augusti Responso, ὁ δ' νόμος &c. aliis dispiciendum relinquere, quàm hoc ipsum pluribus hîc retractare aut ventilare satius existimo. Saltem quæ à nobis est memorata viri clarissimi

rissimi Samuelis Petiti verborum illorum in eodem Responso Emendatio, & eadem deinceps ut est jam verbis quoque nostris vel explicata uberius vel illustrata, nullum præ se ferre ea singula maris dominium patere manifestò putem. Quod addendum fuit, ob verba, quæ continuo exinde eodem Seldeni capite xxv sub calcem leguntur, ista scilicet: *Sed ut hanc rem demum expediamus, sive vulgatam versionem, sive nostram quis malit, Dominum Maris in responso illo negari aut in eo quidquam vestigii, quod dominio ejus refragetur, comperiri, nemo hominum puto, nisi rationi ipse renunciaverit, re totâ rite perpensâ, existimabit.* Lector igitur quid hîc statuendum, quidve sequendũ etiam, aut non sequendum sibi putet, ipse hinc secũ constituat. Vide & supra pag. 53.

Possit jam dictis Coronidis vice non incommode subijci, quod naufragia spectet, verisimile videri, hominum circa ea, & maximè Publicanorum, avaritiam, haud semel ab optimis Imperatoribus fuisse legibus coercitam, sed reprimi difficulter potuisse, quòd loca ad littora & syrtes collocata, ubi mare tantum & solitudines, nec ullibi tribunal aut judices, majorem quoque ex eo delinquendi occasionem iisdem præbuerint. Quibus & illud accedit, quod

quod leges ab antiquo latæ in promptu essent, quæ Publicanis faverent, eorumque foverent cupiditatem. Rhodiam enim, ut indicatum, huc abire satis manifestum est; licet novis eam Rescriptis identidem confutare ac tollere imperatores non intermitterent. Quod ex Rescripto, de quo dictum, non Adriani modò, sed & filii ejus adoptivi Antonini Imperatoris, qui confirmareRescriptum illud patris sui studuit, liquere potuit. Nam aliàs civiles illas constitutiones seu leges, quæ sæpenumero sunt injustissimæ, ut ea, quæ bona naufragorum fisco addicit, ipsæ naturæ leges redarguunt, nihilque esse iniquius clamant, quam si quis alicujus dominium aut fortunas in se transferre sine ullâ præcedenti probabili ratione instituat. Unde & meritò, quæ superius est posita, Constitutio Principalis Antonini, vel, ut alii habent, Constantini, ità loquitur: *Ecquod jus habet fiscus in aliena calamitate, ut in re tam luctuosâ compendium sectetur?* Nec aliò respexit poeta Græcus, cujus verba, Latino senario reddita, ità habent: Euripid. Helenâ.

Sum naufragus, spoliare quod genus est nefas.

Et Dion Pruseensis Oratione VII de nau-

 fragio

fragio agens, *Absit*, inquit, ô *Jupiter, ut lucrum captemus ex hominũ infortunio.* Quod tamen quàm aliquandiu pertinaciter obtinuerit etiam apud Christianos principes, ostendunt, quæ refert Bodinus de legato Cæsaris; Qui *cum questus esset coram Henrico II Francorum Rege duas naves ad littus ejectas, & ab Jordane (principis nomine) captas esse, easque restitui postularet, Annas Mommoransius, Magister equitum, respondit, ea quæ ad littus fuissent ejecta, gentium omnium jure, ad principes, qui littoribus imperarent, pertinere. Ita jus invaluit, ut ne Andreas quidem Doria questus sit de Navibus in littus Celticum ejectis & à præfecto classis Gallicæ direptis.* Ità Bodinus. Apud boreæ reges ac nationes idem usitatum aliquamdiu, immutavit tandem ac sustulit, summo omnium, qui mare id boreum frequentant, bono, *Christiernus* ejus nominis II. legemque tulit, quæ non nisi ab optimo principe (quamvis ille, ob crudelitatem in suos postmodò perpetratam, sequius audit) ferri ac promulgari debuit. Hac statutum, ut naufragis sua redderentur, æquo tantum pretio depenso iis, qui laborantibus suâ operâ curâque succurrissent. Memorat Cornelius Scepperus, homo Flander, ejusdem Christierni Vicecancellarius, audivisse non

semel

ſemel ex ipſo Rege ſe, eâ ex lege deperiſſe ipſi ſupra centum aureorum millia annui naufragii. Sed hæc occaſione eorum, quæ iam dicta, nonnihil extra rem; nunc in gradum ac lineam redeamus.

CAPUT XVI.

De maris communione; & quatenus ea admittenda; diſſertatum: Vaſquius Hiſpanus ejuſque ſententia propius explicata illuſtrataque.

POſtremò Capite xxvi, quod omnium libri prioris ultimum eſt, diſſerit Seldenus de Recentiorum Juriſconſultorum ſuper maris communione ſententiâ. Hanc ipſis natam inolitamque ait ex eo, quod Ulpiano ſive alii alicui magiſtro veuſto, quam par erat, addictiores, in verba eorum juraverint. *Niſi dicamus* (ità porro addit) *eorum nonnullos non tam jus ipſum hac in re, quam juriſconſultorum, quæ tradita ſunt, opiniones explicaſſe. Perinde ac quis Aſtronomica Ariſtotelis; Thaletis ſententiam, Mari terram, ut diſcum, innatare; Stoicorum, hoc illam ut cingulum ambire,*

Veterum de immenso sub Æquatore calore & quæ sunt ejusmodi alia, à posteritate, cu[m] illuxit observationum experientia, rejecta da[m]natàq; ita explicaret; ut non tam rem ipsam disquirere, quam authoris, cujus vestigia pre[m]meret, personam (ut quid ille tantum sentire doceatur) induere videretur, Sed ut radic[e] succisa arbor corruit, ita summota Veteru[m] illorum autoritate, recentiorum cuncta ab e[a] tantum suffulta enervantur. Hactenus Sel[]denus.

Nos, quæ ejus fuêre, excussimus superi[]us Capite XIII. ac demonstravimus com[]munionem constitui debere in iis præser[]tim quæ venire in proprietatem nequeant; in ceteris & quæ aliter se habent inqu[e] proprietatem deduci possunt aliter ren[] habere, nec eam à jurisconsultis etiam ve[]tustioribus negari, ut est suo loco ibidem sed obiter memoratum. Quæ sane ejusmo[]di sunt, quæ haudquaquam comparand[a] cum Aristotelis Astronomiâ, aut disco Tha[]letis, vel cingulo Stoicorum, aut deniqu[e] cum eorum opinione, qui sub æquator[e] calorem immensum, ac zonam æstu inha[]bitabilem statuunt. quamvis & alii ex iis[]dem sint, qui saniora docuerunt, ut est [à] nobis suo loco ostensum; & maxime ub[i] versum illum Nasonis de Zonis:

Qua

Quarum quæ media est non est habitabilis æstu, Ovid. 1. Metam.
Nix tegit alta duas,

xplicamus in Tractatu de globis cœlesti terrestri eorumque usu, ab Hondio olim mstelodami evulgato, ad cap. 4. Partis Hinc addit Seldenus:
Jam verò quod è Ferdinando Vasquio su- rius adducitur, rationibus nititur aut ma- festò falsis, aut ad rem non pertinentibus. 'am quid hoc est. Mare ab origine Mun- ad hodiernum usque diem esse fuisse- ie semper in communi nullâ ex parte imutatum, ut est notum. *Certe notissimum iis, qui gentium seculorumque mores rece- os juraque introspexerint, id quod maxime contrarium: id est, Maria aliquot tum in incipum, tum in privatorum dominium pa- moniumque, jure exploratissimò transiisse, ex supra ostensis luculenter comprobatur.* uæ verba Vasquii, ut meam hîc interpo- m sententiam, facile conciliari posse e- stimo, modò Vasquium de Mari accipia- us, cujusmodi vulgo universale voca- us. Quomodo accepta quid magno- re incommodi verba ejus habeant non deo. Et accipiendum ità Vasquium, ver-

ba, ejus, quæ continuò ſequuntur non obſcurè indicant, iſta ſcilicet: *Et quamvis ex Luſitanis magnam turbam ſæpe audiverim in hac eſſe opinione, ut eorum Rex ità præſcripſerit navigationem Indici occidentalis ejuſdemque vaſtiſſimi Maris, ità ut reliquis gentibus æquora illa transfretare non liceat, & ex noſtriſmet Hiſpanis vulgus in eadem opinione fere eſſe videatur, ut per vaſtiſſimum immenſumque pontum ad Indorum regiones, quas potentiſſimi reges noſtri Hiſpaniarum ſubegerunt, reliquis mortalium navigare, præter quam Hiſpanis, jus minime ſit; (quaſi ab eis id jus præſcriptum fuerit) tamen iſtorum omniũ non minus inſanæ ſunt opiniones, quàm eorum, qui quoad Genuenſes & Venetos in eodem fere ſomnio eſſe adſolent. Quas ſententias ineptire vel ex eo dilucidius apparet, quod iſtarum nationum ſingulæ contra ſeipſas nequeunt præſcribere; hoc eſt, non Reſpublica Genuenſium contra ſemetipſam; non regnum Hiſpanorum contra ſemetipſum; non regnum Luſitanorum contra ſemetipſum. Eſſe enim debet differentia inter agentem & patientem. Contra reliquas verò nationes longe minus præſcribere poſſunt, quia jus Præſcriptionum eſt merè civile. Ergo tale jus ceſſat cum res agitur inter principes vel populos, ſuperiorem non recognoſcentes in temporalibus.*

Qui-

Quibus ex Vasquii verbis, quæ loco priore sunt posita, quæque vastissimum immensumque pontum, ut verba habent, mareque, quod Indias interluit, nominant, satis nos docent, universale ab eo mare intelligi; quod hîc ad speciale non debet trahi. At reliqua, quæ sequuntur, hicque à Seldeno adducta non sunt, ad maria forte alia ire non diffitear. De quibus quid sentiam, & quatenus ea, & sæpe etiam quàm ea difficulter dominii capacia sint, consideratâ vel majore vel minore eorundem vastitate, jam ante indicasse nos existimo; allato, inter cetera, Tyrrheni maris, quod sibi adversus Romanos vindicare jam olim Carthaginenses instituerant, exemplo, quod est apud Polybium, notissimo.

Hinc iterum ibidem Seldenus: *At verò & præscriptionem cessare inter invicem exteros, neque in jure gentium, sed Civili tantum, locum vult* (Vasquius illustrium controversiar. lib, 1. cap. 51. §. 23.) *habere: adeo ut inter eos, qui civili, quod præscriptionem admittit, juri communiter non subsunt (veluti inter principes binos supremos) præscriptio juxta ejus sententiã vim sortiatur nullam. Quo quid absurdius dici, ne cogitari quidem potest.* Respicit haud dubio hîc Seldenus

illa Vasquii Verba, quæ sunt illustrium Controvers. lib. 2. cap. 89. §. 20. hæc nimirum, *Jura Civilia cujuscunque regionis, quoad exteros populos, nationes, vel etiam homines singulos, non magis sunt in consideratione, quam si revera non esset tale jus aut unquam fuisset; Et ad jus commune Gentium primævum vel secundarium est recurrendum, eoque utendum; quo jure talem Maris præscriptionem & usurpationem admißam non fuisse unquam constat.* De quibus, ultra quæ modò dixi, pronunciandum mihi non sumo; aliis, & quibus ea, quæ merum jus spectant, curæ sunt, hanc, qualiscumque est, spartam exornandam demandans.

CAPUT XVII.

Mare magnum æque atque exiguum dominij capax non esse monstratur; addito totius disputationis epilogo.

HInc eodem adhuc capite XXVI, hæc habet Seldenus:

> *Partis exiguæ & majoris discrimen in dominio privato statuendo locum (puto) non habet.*

existi-

existimans scilicet, mare, quantumvis magnum ac vastum, æque atque exiguum, dominij esse capax. Nam addit statim:

Et sane ut occuparetur totus oceanus, nemo existimare potest non esse difficillimum. Si tamen occuparetur, ut fretum aut sinus, ut totus orbis veteribus occupari à principibus dictus est, æque etiam in dominium occupantis possit transire.

In scholis responderi vulgo solet, à posse ad esse non valere consequentiam. hîc quę iterum iterumq; jam ante meminimus attulimusque, reponere atque identidem adferre liceat, addereque, quę diximus toties de maris immensitate deque incertitudine ejus elementi in loco etiam terris hinc inde concluso infusoque. Nam oceanum illum magnum quis ignorat velut immensum, infinitum, rerum parentem ac cælo conterminum ab antiquitate habitum ęstimatumque? adeò ut quod deinde sub calcem hujusce capitis epilogi loco ab eodem clarissimo viro memoratur:

Cæterum universis, quæ hactenus ex tot seculorum gentiumque moribus ac jure tam plurimarum civili quam communi seu in-

terveniente deprompta ſunt, rite perpenſis, nemo (puto) dubitabit, quin neque in natura ipſius Maris, neque in jure ſive divino ſive Naturali ſive gentium quid maneat, quod ità dominio ejus privato reluctetur, ut id non jure omnimodo atq; exploratiſſimo queat admitti; adeoque quin jure qualicunque Dominij privati capax ſit qualecunq; Mare, quod erat demonſtrandum,

reluctari dicimus rei naturam ceteraq; jam toties dicta haud ſinere ut *mare omne*, vel, ut habent hîc verba tua Seldene clariſſime, QUALECUNQUE MARE dominij privati capax habeatur. Etenim mare cum liberùm, aut clauſum dicitur, indefinite nec ſatis plene dicitur; quia Mare id Liberum tantùm intelligitur, quod in proprietatem occupantis venire nequit; ſicuti clauſum, quod jam occupatum claudi ac ſubjici dominio inque proprietatem venire poteſt. Idque ut demonſtrandum tam hîc, quâm ad librum poſteriorem erat, ità quoq; demonſtratum utrobique ſic ſatis exiſtimo.

DIS-

DISCUSSIONUM HISTORICARUM MANTISSA.

In quâ

De patriâ agitur seu solo natali Constantini Magni; asseriturque non Dacia, ut statuit Cedrenus; vel Britannia, ut Baronius scriptoresque Britanni, sed esse Bithyniæ Tharsus. divus item Paulus Tharsensis.

SUperius, ubi de Constantio Chloro ejusque filio Constantino, ac rebus cujusque, injectum est, nihil, utpote ad rem non spectans, de Constantio est memoratum, qui Eboraci in Britannia supremum diem clausit, relicto filio Constantino, Magno exinde dicto. Hic in Angliâ tum consistens ibi confestim, defuncto patre, ut docent Panegyristæ, imperator est salutatus. Quod Panegyristæ unius verbis ità est prolatum, ut ibi non Cæsarem aut Imperatorem declaratum, sed natum etiam plures existimaverint. In his non solum Polydorus Virgilius

gilius aliiq; scriptores Britanniæ fuêre, verum & Baronium fuisse, iisdem Panegyricis male intellectis, indicio sunt ejusdem annales. Camdeni cum illa in Britanniâ ejus legerem: *Britanniam* (post Allectum & Carausium) *plene recuperatam magnâ cum laude administravit Constantius ille Chlorus Christiani nominis admodum studiosus, brevique Eboraci diem obiit; ubi protinus milites filio ejus Constantino magno purpuram injecerunt, qui & Rempublicam Romanam in libertatem asseruit, & Christianam pietatem maxime instauravit*, quæ, inquam, cum legerem, existimaveram haud ulterius acceptũ ab eo Panegyrici authorem, quàm, ut debuerat, de imperio ac purpurâ in Constantinum per militem ibi translatâ; At sequentia inspiciens, ubi de Brigantibus & Eboraco agit, hæc repperi: *Hîc* (Eboraci) *ex priore conjuge Helenâ Constantinum Magnum, Romanæ urbis, ut est in antiquis epigraphis, liberatorem, quietis fundatorem, Reipublicæ instauratorem* (Constantius) *suscepit*. Ex quibus etiam ejusdem fuisse cum ceteris sententiæ accuratissimum hunc virum animadverti: & eum exinde sequutum, aut ab eo haud dissentientia attulisse elegantissimum quoque Seldenum in Analectis Anglobritan. Ubi inter cetera hæc legun-

Romani in Britan.

Cap.7.lib.1.

gun-

guntur: *Terra ista nostra percolato martyrum sanguine humigata, principem, cui nihil prius erat quàm Christianam fovere religionem, Britannico sanguine natum (summum insulæ decus) tunc temporis nutrivit, atque in imperium evexit; Constantinum nempe illum, quem ex Helenâ Cœli Reguli (qui Asclepiodotum regno spoliarat) filia primis nuptiis ductâ Constantius Chlorus Cæsar, dum in Britanniis agebat, susceperat.* Inde addit hæc Eumenii Panegyristæ verba: *O fortunata & nunc omnibus beatior terris Britannia, quæ Constantinum Cæsarem prima vidisti.* & post pauca, quæ ibidem sequuntur, ista scilicet; *Dii boni quid hoc est, quod semper ex aliquo supremo fine Mundi nova Deum numina universo orbi colenda descendunt? Sic Mercurius à Nilo, cujus fluminis origo nescitur; sic Liber ab Indis prope consciis Phœbi orientis Deos se gentibus ostendêre præsentes. Sacratiora sunt profecto mediterraneis loca vicina Cœlo & inde propius à Diis mittitur imperator, ubi Terra finitur.* Et statim Seldenus ibidem: *Constantinus ille Augustus è Britannâ & in Britanniâ natus, imperator in Britanniâ salutatus, Romanum imperium in Britanniam quasi transtulisse videtur.* Quibus & ille panegyristæ locus, qui est incerti panegyrici Maximiano & Constantino di-
cti,

cti, addendus præterea, iſte nimirum: *Liberavit ille* (Conſtantius pater) *Britannias ſervitute, tu etiam nobiles illic oriendo feciſti.* Quibus in locis omnibus verba illa, *illic oriendo*, & quod præcedit, *quæ Conſtantinum Cæſarem prima vidiſti*; &, *inde mittitur imperator*, ità de Britanniâ accipiunt; quaſi natus ibi ſuſceptuſque Conſtantinus ille ſit; cùm nihil aliud velint, hæcque authorum eorum mens ſit, gratulari ſe, ibi ortum factumque imperatorem Conſtantinum; quodque eum proclamatum Cæſarem Britannia prima viderit; & ab ultimo quaſi boreâ eoque terræ tractu, qui cœlo & aſtris quodammodo videretur vicinus, miſſus adeſſet imperator. Hoc ità eſſe, & ità accipiendam vocem præcipue *oriendo*, ſatis oſtendant ſimiles apud panegyricos illos locutiones, &, inter ceteras, illa, quæ eſt Eumenii: *O felix beatumque ver novo partu, jam non amænitate florum, nec viriditate ſegetum, nec ipſis tantum favoniis, & luce ſerenata lætum atque venerabile, quantum* ORTU *Cæſarum maximorum!* ubi per *ortum* ſimiliter intelligit Conſtantium & Galerium in Imperatores allectos. Erat enim antiquis illis velut alter natalis & quaſi quædam de novo creatio Cæſarem aut conſulem renunciari crearique. Unde

& cre-

& *creationis* vox eo ſignificatu etiamnum Latinis in uſu hæret. Quin & Cicero pro P. Sextio Nonas Sextiles *Salutis natalem* appellavit, quod eo die in Quirinali ædes ei eſſet conſecrata. Quo & Martialis reſpexit illo verſu, *Maiæ Mercurium creaſtis idus. Creaſtis* inquit, quia templum tum ei fuerat dedicatum, de quo Livius & Feſtus. Et adde quod martyribus olim paſſionum dies, eorum natalis ſit appellatus, quemadmodũ notavimus alibi. In Orig. Fran.

Verum ſi nec iſta ad præoccupatã hanc è mentibus opinionem, &, ut ille loquitur, ad avias veteres pulmone revellendas ſufficiant, ecce Panegyriſta ipſe Eumenius, qui pro parte etiam commento huic, ſed perperam intellectus, occaſionem dedit, id ipſum vel maxime confutabit. Diſerte enim refert ille, quod minus animadverſum viris doctis video, quamvis & Sextus Victor idem memoret, Conſtantinum nimirum Magnum fuiſſe in rerum naturâ antequam in Britanniã trajiceret pater Conſtantius, imo agentem hoc eum continuo inſecutum, ac patri, qui ibi ſupremum mox diem clauſit, adſuiſſe morienti, & ab eo hæredem imperii declaratum. Sed verba diſertiſſimi Eumenii quid vetat adſcribere? iſta ſcilicet: *Jam tunc cæleſtibus ſuf-*

fragiis ad ſalutem reipublicæ vocabaris, cum ad tempus ipſum, quo pater in Britanniam transfretabat, claſſi jam vela facienti repentinus tuus adventus illuxit; ut non advectus curſu publico, ſed divino quodam advolaſſe curriculo videreris. Non enim ulla Perſarum Cydomumve tela tam certis jactibus deſtinata fixerunt, quam tempeſtivus patri tuo terras relicturo comes adfuiſti, omneſque illius curas, quas præſaga & tacitâ mente volvebat, præſentiæ tuæ ſecuritate laxaſti. Dii boni, quanta Conſtantium Pium etiam in exceſſu ſuo felicitate donaſtis! Imperator tranſitum facturus in cœlum, vidit, quem relinquebat hæredem. Illico enim atque ille terris fuerat exemptus, univerſus in te conſenſit exercitus te omnium mentes oculique ſignarunt &c. Ex his jam clarius clariuſq; liquet, ecquid velint, nec aliter, quàm diximus modò, accipienda eſſe illa ſuperius memorata, quibus dicitur Conſtantinus *nobiles feciſſe Britannias illic oriendo:* & quod ſtatim hîc Eumenius ſubjicit, *inde propius à Diis mittitur imperator, ubi terra finitur*, non inquam aliud ea velle, quàm indicare, quod iterum iterumque jam dictum, hîc Cæſarem factum creatumque ab exceſſu Conſtantii Conſtantinum. Victor de eodem ità loquitur: *Conſtantinus Conſtantii Imperatoris & Helenæ*

lenæ filius imperavit annis XXX. *Hic dum juvenculus à Galerio Maximiano in urbe Româ religionis specie obses teneretur, fugam arripiens, atque in frustrandos insequentes, publica inventa quaqua iter egerat, intercipiens, ad patrem in Britanniam pervenit: & forte eisdem diebus ibidem Constantium parentem fata ulttma perurgebant. Quo mortuo, cunctis, qui aderant, adnitentibus, sed præcipue Eroco, Alemannorum Rege, auxilii gratiâ Constantium comitato, imperium capit.* Hactenus Victor. De *Daciâ* verò quod infert Cedrenus, id, ut multa ejus authoris, aut falsum aut corruptum.

Quæ cum ità sint, ubi igitur natus Constãtinus? Id diserte Nicephorus Firmicusq; dicent, qui Bithyniam natale ejus solum ac patriã esse Tharsum profitentur. Sed hoc cum aliis & Justo præsertim Lipsio paucis quidẽ, sed ut mos fuit ejus viri, eleganter ac perspicue jam olim sit demonstratũ, ne mihi, quod meũ non est, attribuere videar, ad eorũ, quæ à nobis jã dicta, uberiorem demonstrationẽ, ipsum hîc loquentem verbis ipsius subjiciam. In iis si quid notandũ vel aliàs adjiciendem, sub finum id, & positis prius, quę dixi, Lipsianis illis nõ reticebo. Ità igitur clarissimus ille vir Libro de Magnitudine Rom. v. capite penultimo:

AUDITOR. *Oro te mi doctor, benigne & honeste de hoc viro (Constantino Magno) loquamur, & qui ut sidus illustravit vicinam nostram terram.* LIPSIUS. *Ego verò loquor in omni aliâ re; & præsertim quæ sacra & pietatem tangit. Quis nescit illum, Deo duce, depulisse tenebras, quæ orbem terræ densâ superstitionum nube obsidebant? ille dissipavit, lucem intulit, templa nobis & Christo aperuit, vanis cultoribus & diis clausit. Magnus igitur laudatusque vir; sed quid tamen ea lux proprie ad vicinam nostram terram, ut dicebas?* AUD. *Nam quis nescit in Britanniâ ortum hunc esse, & gloriam etiam redundare ad natalem terram?* LIPS. *Ego verò nescio, & ambigo & propior sum ut negem.* AUD. *Tune, contra eruditissimis viris nuper adserta? & clarum hunc etiam Panegyrici scriptoris locum? Nam ille apud ipsum Constantinum hæc profert:* Pater tuus liberavit Britannias servitute, tu etiam nobiles ILLIC ORIENDO fecisti. *Quod os tuum erit, contra verba tam expressa, euntis? Nisi hoc dices, ævi ejus oratorem nescisse principis sui patriam, & in re tam nobili, ignave & fœdè apud ipsum errasse.* LIPS. *Hoc non dicam, & os non abdicabo, imo nec perfricabo quidem. Fides apud me esto Panegyristæ: sed quid dicit igitur:* Ortum illic *Constantinum:*

am non in tuam ſenientiam fortaſſe, ſed meam dicit. Ea eſt, non ipſum ibi, ſed imperium ejus ortum: non Conſtantinum, ſed Principem. Vere tibi dico (ſiſte, nec reſilias) hæc ejus mens eſt: Tu nobiles feciſti Britannias quod illîc ortus factusque es imperator. *Prima imperii tui* lux *illîc, & illinc, fulſit. Nec diſſimile nimis in verbo, quod paullo ante idem Orator dixit,* Conſtantine oriens imperator. AUD. *Percuſſiſti me novâ interpretatiode: ſed quid tu tamen contra communem omnium aſſenſum?* LIPS. *Nego, communem: imo nemo veterum hoc ſcripſit. Mediæ aut novellæ ætatis hæc aſſertio eſt, nec niſi ab illo imperii ortu orta. Quid? nonne Nicephorus, Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptor, de Bithyniâ palam affirmat?* Nam patrem ejus Conſtantium, cum ad Perſas legatus iret, Drepanum Bithyniæ veniſſe, divertiſſe, Helenā hoſpitis ſui filiam noviſſe, Conſtantinum hunc genuiſſe. C*ur autem ille hoc tam conſtanter, tam nihil ambigens, aut de varietate inferens, ſi variatum tamen fuit? Atque ego arbitror, veriſſima Nicephorum tradidiſſe. Quo teſte? quem nemo reſpuat, veteri & ab ipſo Conſtantini ævo. Is eſt Julius Firmicus, qui Matheſeon libros ſcripſit: & in eorum primo, hæc verba:* Dominus & Auguſtus noſter ac TOTIUS orbis impera-

 tor,

tor, Pius, Felix ac providus princeps CONSTANTINUS scilicet MAXIMUS, DIVI CONSTANTII filius, augustæ ac venerandæ memoriȩ principis, qui ad liberandum orbem à tyrannicis immoderationibus, & ad comprimenda domestica mala, favore propitiæ majestatis electus est, APUD THARSUM GENITUS, à primo ætatis gradu gubernacula imperii retinens, quæ prosperis nactus fuerat auspiciis ROMANUM ORBEM salubri gubernationis moderamine sustentat. *Ea de Constantino nostro accipienda esse, primum doceo, tum de re meâ addo. Aliquis enim dixerit* Constantinum ejus filium *capiendum; quoniam in libris vulgatis legitur,* Divi Constantini filius: *sed profecto id improbum est, &* Constantii, *ut recitavi, legendum. Multa docent clarè. primum quod ait,* Totius orbis Imperatorem *fuisse. atqui Constantinus ille, inter tres Constantini Magni filios, sorte duntaxat Gallias, Hispanias Britanniasque habuit. Item, quod* Maximum *agnominat: quod, Tyrannos ab eo extinctos; & quod Romanum Orbem salubriter facit gubernantem. Atqui partem modò, ut dixi: nec eam ipsam diu tenuit, intra triennium occisus. Quid, quod diserte mox idem Firmicus, Constantinum maximum principem, &*

ejus

ejus INVICTISSIMOS LIBEROS, *Dominos* & CÆSARES *appellat? Certe non habuit tales minor ille Constantinus, & palam ad nostrum hunc spectant. Ista præmisi, si quis (ut sunt mores aut ingenia) refragari vel calumniari vellet: nunc ad rem aptemus. Ait igitur, Constantinum illum suum principem* apud Tharsum *genitum. Quæ illa est? an nobilis in Cilicia? non est, sed in Bithynia ego eam inveni. Nam Stephanus de Urbibus, Nicephorus, Porphyrogennêta,* Tarsum *hanc (ita scribunt sine adspirante littera) in Bithyniâ signate ponunt; juxta Nicomediam ipsam. Ego vero aio & infero eandem cum* Drepano *esse. Quod Nicephorus nominavit. Quo argumento? quod apud Nicomediam sinus & curvatura maris est, quæ loca talia communi nomine* Drepana *Græci, quasi falces, à similitudine, vocabant. Inde passim* Drepani *hoc nomen in maritimis, & Ortelium nostrum vide. At proprium ejus loci oppidique nomen & magis restrictum,* Tarsus *fuit. Mea hæc conjectatio est. nec moveor, si posteri, aut Britanni scriptores, aliter de totâ re scripserunt. Multo minus Georgio Cedreno aurem præbeo, scribenti natum Constantinum* περὶ τὴν τῆς Δακίας πόλιν, circa urbem Daciæ. *Corrupta, aut falsa sunt: & quoties vanitatum manifestus ille auctor? Pro nobis etiam*

valide facit, quod ipsum istud Drepanum, Helenopolis *appellatum postea, in honorem matris; & Pontus vicinus Polemoniacus, item* Helenopontus: *sed & sedes imperii in viciniam translata, nonne affectum in patriam testatur? Ipsum denique ævum Constantini adjuvat, si consideras natum eum circa annum* CIↃ. XXIIII *urbis conditæ: quo tempore quieta adhuc Britannia, & turbæ post motæ, & pater ad eas sedandas missus. Ergo verius ante, & alibi, natum esse. Sed tu, aut alius, ut volent: ego sine fraude censui, & sermonem meum totum finivi.*

Quibus ex verbis clarissimi Lipsij duplicem Tharsum ac Tharsenses, Bithyniæ & Ciliciæ, fuisse cognoscere est, & hac quidem Tharso Ciliciæ oriundum ac natum fuisse divum Paulum, Bithyniæ verò Tharsum imperatori huic Magno Constantino, ut patriam ac solum natale, tribuendum. Quod autem Drepanum Helenopolim appellatum addit, id authoribus lato modo proditum putem: cum proprie Tharsus hanc appellationem meruerit. Nam ut Lib. 47. olim, quod Dio notat, Tharsenses illi vetustissimi urbem suam Juliopolim, in gratiam Julii Cæsaris vocitarunt; ità in honorem & gratiam quoque Magni hujus Constantini, ejusque genitricis, quæ Helena

est

est dicta, Helenopolim exinde Tharsenses hosce nominasse verisimile existimem: nisi hæc Helenopolis sicuti ad Tharsum referenda Bithyniæ, sic ad Tharsum Ciliciæ referre alteram placeat. At Tharsum Ciliciæ non fuisse *Juliopolim*, satis indicabit Ptolemeus, qui diserte *Juliopolim* in Bithynia collocat, quorum & incolas *Juliopolitas* novit Plinius. Ut ità existimem eosdem Bithyniæ Tharsenses sive Tharsi incolas, qui olim Julio Cæsari gratificaturi urbem suam appellitarunt *Juliopolim*, exinde eorundem posteros voluisse similem in modum gratificari Magno Cæsari Constantino, ejusque genetrici Helenæ, oppidum idem suum *Helenopolim* quoque nominasse, postliminio. Ut ità concidat simul opinio, quæ ex citatis quoque superius patuit, statuentium Helenam hanc fuisse Britannam.

Dein cum natus sit Constantinus Magnus, quod accurate præterea ibidem injicit Lipsius noster, circa annum CIↃXXIV urbis conditæ, eo nimirum tempore, cum esset adhuc quieta Britannia, nec uspiam audita fuissent Carausii & Allecti nomina, qui, ut suprà meminimus, à Romanis exinde deficientes, suam Britanniam fecerant, ea haud leviter juvabuntur iis, quæ à

nobis ſuperius præmiſſa ſunt, Eumenii Rhetoris clariſſimi verbis. Etenim ille, ut retulimus, quem trajeciſſe in Britanniam Conſtantium refert, in id trajeciſſe tum conſtat, ut Allectum illum, qui, interfecto Carauſio, ſibi inſulam vindicaverat, compeſceret imperioque obſequentem redderet. Atque inde cum addat, quod ſimiliter meminimus, filium Conſtantinum, continuò eodem profectum reperiſſe decumbentem patrem Conſtantium, ac ei moribundo adfuiſſe, quid eſſe clarius poteſt, quàm alibi natum Conſtantinum, & ibi, defuncto jam patre, veluti à boreâ exortum ſolem, imperioque à milite inauguratum præfectumque? Eſto itaque Tharſenſis, id eſt, natus in oppido Bithyniæ Tharſo Conſtantinus Magnus, quemadmodum divus Paulus Tharſenſis ſimiliter fuit, genitus item Tharſi, ſed oppido Ciliciæ. Quorum uterque quantum commodaverit rei Chriſtianæ, ille conſilio & armis; hic doctrinâ & vitâ, ecquem latere hominum poteſt? Unde, ut hoc ſuperioribus iſtâ occaſione addam, nata aliquando mihi materia, ſuggerente præcipue eam clariſſimo viro *D. Erneſto Brinckio*, conſule urbis Hardervicenæ ampliſſimo, celebrandi hoc nomine utrumque epigrammatio; quod,

eorun-

eorundem ſubditum imagini, ſervat vir idem ſpectatiſſimus in pinacothecâ ſuâ, rariſſimis tam hujus, quem incolimus, quàm orbis novi ceimeliis ac rebus inſtructiſſimâ. Eſt verò hoc ipſum, ne ibi ſolum legatur, ejuſmodi:

CONSTANTINUS MAGNUS IMPERATOR,

&

PAULUS APOSTOLUS

Tharſenſes

Ad

D. ERNESTUM BRINCKIUM

Conſulem Hardervicenum.

BEate Paule, *tuque ſummatum virûm*,
Quos orbis habuit, prime vel primos ſupra,
O Magne Conſtantine. *Te Tharſus tulit*,
Tulitque Paulum. Gentium hic doctor fuit,
Docuitque Chriſtum voce, vitâ, tum ſtylo:
Adſeruit ille, primus & Chriſtum ſuis
Tutatus armis, arma ſuſtulit fera,
Queis trux tyrannis ſæviit in Chriſti gregem;
Mundumque nobis Chriſtianum condidit.
Felix ô Tharſe! voſque Tharſenſes duo,
Tu Magne Conſtantine; Tuque ſeu minor
Majorve Paule; minor uterque ſed Deo,
Deoque ſolo, tanta qui per vos dedit.

Amice consul, hoc tuum melos puta,
Hos tu latere noluisti qui duos,
Tharso profectos. quorum uterque, ut dispari,
Itâ stupendo, vertit hunc Orbem modo:
Ille ense ferri; hic ense, qui Dei est logos.
ERNESTE BRINCKI, *carmen en tuum meum;*
Materia tua sit, versus ac textus mei.

MANTISSA II.

Vbi de Thule deque Thulensium largâ ac diutinâ Pomonâ expensa Solini verba; itemque Taciti & Panegyristæ Eumenij de Britanniâ.

NEque temere neq; libenter antiquissimis illis ac classicis authoribus derogare fidem vel soleo vel audeam. Quis tamen, ut intra circum & hæc nostra consistam, Solino in universum assentiatur, de Thule insulâ memoranti, *eam largâ ac diutina Pomona copiosam, & veris initio inter pecudes pabulis vivere indigenas, deinde lacte; in hiemem congerere arborum fructus?* Nam si Thulenses non nisi post vernum, ut ipse indicat, æquinoctium, ac demum solstitij æstivi tempore Solem benigniorem experiantur

Capite 25.

riantur, & Orcades, quæ Thule tanto sunt australiores, *nec silvas nec arbores habeant*, *tantumque*, ut verba ipsiusmet habent, *junceis herbis inhorrescant*, quomodo Thulenses adeò versus boream remotiores, & *arborũ fructus sub hiemem congerere, & habere Pomonam copiosam* possint? Hîc Thulem & Thulenses cum nomino, intelligi, qui hodie Islandi nominantur, extra controversiam habeam. At illis arbores nullas esse aut nasci hodie certum est. Interim junceas stirpes, Betulam appellat Arngrimus Islandus; tum & pecus tam equinum quam vaccinũ, aliaque id genus habent, satis fæcunda, & gramen quoque æstivis mensibus adeò luxurians, ut pecora, quod de Hiberniâ Mela refert, citissime se impleant, & nisi pabulis prohibeantur, diutius pasta dissiliant. Quod autem additur ejusdem Solini verbis, *inter pecudes pabulis vivere indigenas*; facile concedam, si accipiantur, ut à verbis Taciti haud abeuntia; qui de priscis Germanis non dissimiliter loquens inquit: *Dominum & servum nullis educationis deliciis dignoscas. Inter eadem pecora, in eadem humo degunt, donec ætas separet ingenuos, virtus dignoscat.* Quod verò *arbores* spectat, occurrat hic quispiam dicatq; non Islandiam, sed Norvegiam Solino for- Libro de Ger.

tassis

taſſis intelligi, quam & arbores habere conſertiſſimas, tum & inſulam & Thulem appellatam veteribus, & in his Procopio præſertim conſtat. At reſpondemus, omnino de Thule, utpote Iſlandiâ, accipienda Solini verba demonſtret vel ipſe Solinus, qui Scandinaviam nominans, quemadmodum & Plinius, ſub ea comprehendiſſe Norvegiam & eum tractum dignoſcitur quod alibi oſtendimus.

In Chorog. Daniæ deſcrip.

Solino proxime ſubjungendus Tacitus, quamvis ætate anterior. Is in vitâ Agricolæ, de Britanniâ loquens, hæc inter cetera, habet: *Solum, præter oleam vitemque & cetera, calidioribus terris oriri ſueta, patiens frugum, fæcundum.* Quo lociità Tacitum interpretor, ut, oleâ viniſque & ejuſmodi, quæ locis ac terris calidioribus provenire ſueverint, exceptis, frugum aliàs ac frumentorum omnium fæcunda ſit, ac ferax Britannia. Et hoc ità haberi, hodie res doceant; nec ſibi ſolum, ſed proximis quoque regnis ac regionibus, ubi opus eſt, ſubvenire liberaliter eam, fruges atq; alimoniam ſubminiſtrando. Unde & olim quoque horreum & veluti penuarium occidentalis imperii fuiſſe Zozimus memorat: adeò ut DCCC navibus, quæ lembis majores erant, maxima frumenti vis è Britannia

nia in Germaniam ad exercitus limitaneos circa Rhenum & illa loca transvecta quotannis. ut omittam de cerevisiâ dicere, quæ etiam hodie palmam inter cerevisias exoticas ferens, tanta ibi conficitur ac coquitur non modo copiâ, sed etiam gratiâ, ut eam circumquaque exteri delicatiores depereant dicam an expetant? Et ante quoq; Tacitum Zozimumque Cæsar haud ultra frumentum ac fruges procedens, addit, *interiorum plerosque frumenta non serere, sed lacte & carne vivere.*

At ab his quàm longe recedens panegyrista Eumenius, non Cereris modò sed & Liberi muneribus sufficere asserit. Ubi ait: *Meritò te* (Britannia) *omnibus cœli ac soli bonis Natura donavit, in qua nec rigor est nimius hiemis, nec ardor æstatis, in qua segetum tanta fœcunditas, ut muneribus utrisque sufficiat & Cereris & Liberi.* Ecce non Cererem seu fruges modò, sed vinum etiam ac Liberi Bacchique dona Britanniæ tribuit, præter, quàm memoratum nunc authoribus; & præter quoque ea, quæ docet quotidianus usus atque experientia. Videaturq; Eumenius aspexisse hîc quidem Tacitum sed aliter, quam nos accepisse verba, *præter oleam vitemque*, præsertim cum presse insistat ejusdem verbis eaque exprimat.

In vitæ Agricolæ. mat. Nam ubi Tacitus de eâdem Britanniâ dixit, *asperitas frigorum abest*, ille habet, *nec rigor est nimius hiemis, nec ardor æstatis:* Et illa quoque Taciti: *dierum spatia ultra nostri orbis mensuram, & nox clara, & extrema Britanniæ parte brevis &c.* item illa ejusdem: *scilicet extrema & plana terrarum humili umbra non erigunt tenebras &c.* ita reddidit Eumenius: *Longissimæ dies, & nullæ sine aliqua luce noctes, dum illa littorum extrema planities non attollit umbras.* Quæ tamen (quod & aliis observatum) futilis ratio à solo petita, quæ à sole & cœlo repetenda. Sed, an illud de Libero ac vite a Tacito, ad sensum suum detorto, vel a Schitinio potius Chio, qui fructus sine nucleis, uvasque sine acino in Britanniâ nasci fabulatus est, sumserit Eumenius, in medium relicto; id tamen adferri pro Eumenio possit, quod refert Gulielmus Malmesburiensis de Angliæ ditione Glocestriâ. Ibi enim hæc habet: *Regio plusquam alia Angliæ provincia vinearum frequentia densior, proventu uberior, sapore jucundior. Vina ipsa bibentium ora non tristi torquent acredine, quippe quæ parum debeant Gallicis dulcedine.* Ubi de re quasi præsenti ac sibi compertâ videatur loqui Malmesburiensis; Nec ideò refragari ejus narrationi facile

Apollonius in Mirabilib.

cile

cilesit; Guljelmus tamen Camdenus ubi loci ejus meminit, agens de Dobunis hæc subjicit: *Hinc tamen, ut alia taceam, non est cur miremur, tot loca in hac regione à vinetis Vineyards vocari, cum vinum protulerit. & certe ex incolarum potius socordiâ, quam cœli intemperie videatur, quod hodie nullum ferat.* Socordiæ hoc adscribit incolarum Camdenus, quod ego potius aliò traxerim. Nam segetum cum ea ubivis ibi ubertas sit fueritque, ut paulo ante dixerit quoque idem Malmesburiensis, *terra omnis frugum opima, fructuum ferax, hîc sola naturæ gratia, illic culturæ solertiâ, ut quemvis tædiosum per socordiam provocet ad laboris illecebram, ubi centuplicato fœnore responsiva sit copia,* Hinc sane collegerim, cum segetum ibi cultura ac proventus non sine fœnore aut simplice lucro habeatur, ideò vineas ac vineta, quæ ad delicias & viridariorum ornatum magis, quàm rei augendæ facerent, insuper habita paulatim neglectaque. Nam de cœli intemperie, eam incusari non posse, quod addit Camdenus, sciri refert, longe eum Britanniæ tractum ceteris esse borealiorem, & gradus ibi numerari haud multò infra 55, cujusmodi propemodo situs est Visurgim & Albim accolentium in Germaniâ. At eam Germaniæ partem

in Britannia sua.

tem vini admodum feracem non esse, aut vix esse, latere neminem existimo.

Verum occurrat quispiam, Cæsaris illud adducens, quo ille *Britanniæ temperatiora esse loca, quam in Galliâ, remißioribus frigoribus*, commemorat; ut ità de vite & Libero, quod Eumenius & authores tradiderunt, locum habere possit: Cui ut respondeatur, non repetam, quæ usus & experientia hodierna testantur, de quibus injectum jam modò; sed illud tantum adferam quod habet Tacitus, interpretans quasi Cæsarem, & *asperitatem quidem frigorum abesse Britanniæ, interim crebris imbribus ac nebulis fœdum eße cœlum* referens, & ideò clementes ibi esse hiemes; quod frigoris vim frequentes, sed sedatæ, pluviæ dissolvant; & mare insuper circumfusum moderato tepore foveat terram. Quemadmodum hoc ipsum non obscure quoque doceant physici, & indicet Minutius Felix, ubi de ipsâ hac Britanniâ loquens scribit, *Britannia sole deficitur, sed circumfluentis maris tepore recreatur. Sole* inquit *deficitur*, id est, ità ibi pluviâ nubibus sæpenumero obducitur aer, ut in aspectum prodire sol ejusque radii vix ac raro possint. At quem vinum & vineta efflagitant, præcipue Phœbus est, cujusmodi in Galliâ & præsertim

Italia

Italia, ſudus ut plurimum ac ſerenus fulget, qui & Liberi hiſce muneribus ſuam maturitatem ac ultimam, quod dicitur, manum addere quàm maxime potis eſt.

MANTISSA III.

Cæſaris de Gallis & Britanniâ relatio & verba ambigua. Eaque poſita expenſaque.

VErba ſunt Cæſaris, ubi de Vennetis agit, qui hodie, in Britanniâ minori ſive Gallicâ, Vannes dicuntur. Ejus inquam verba ibi ſunt: *Hujus civitatis* (Vennetorum) *eſt longe ampliſſima autoritas omnis oræ maritimæ regionum; quod & naves habent Venneti plurimas, quibus in Britanniam navigare conſueverunt; & ſcientia atque uſu nauticarum rerum ceteros antecedunt &c.* Atque inde aliquando poſt: *inſula* (Britannia) *natura triquetra, cujus unum latus eſt contra Galliam; hujus lateris alter angulus, qui eſt ad Cantium, quo fere ex Gallia naves appelluntur, ad orientem ſolem; inferior ad meridiem ſpectat &c.* Quæ omnia ejuſmodi ſunt, ex quibus per id tempus frequen-

Lib. 3. de Bel. Gal.

Libro 5. de Bel. Gall.

tem fuisse ac solemnem è Galliis in Britannos navigationem colligere esset; at cum inde libro, qui est inter utrumque jam dictum, tertium & quintum, intermedio,
ibidem l. 4. IV scilicet, hæc tradat: *Magno sibi usui fore arbitrabatur, si modo insulam adißet, genus hominum perspexißet, loca, portus, aditus cognovisset, quæ omnia fere Gallis erant incognita, neque enim temere præter mercatores illo adit quisquam, neq; iis ipsis quidquam, præter oram maritimam atque eas regiones, quæ sunt contra Galliam, notum est.* Quæ vicissim aliud loqui videantur; & opponi iis merito possit, quod de Vennetis jam memoratum libro antecedente, qui est tertius, eos, ut pote navibus abundantes, in Britanniam navigare pro more consuevisse; ut verba habent, jam jam recitata. Nec quod censeat quispiam, latere hoc Cæsarem potuit cum, ut patet libro eodem tertio, missâ eo non classe tantum, sed & terrestri exercitu, suæ eos jam ante potestatis ac juris fecisset: & quinto insuper libro, ut posuimus, ad Cantium è Galliâ fere appellere naves tradiderit. Quis igitur cognoscere ista ex Vennetis eum, ceterisque Gallis, nequiisse non miretur? quod scilicet ibi hominum genus, quæ loca, portus, aditus essent? Quis, inquam, inco-

incognita hæc fuiſſe Gallis omnia, adeò ſolemniter in ea loca navigare eaque frequentare ſolitis, non miretur? Niſi excuſare hic Cæſarem libeat, & vocula *fere*, quæ additur, pleniorem ſingulorum, nec eorum modo, qui ſunt contra Galliam portuum & locorum hominumq; ſed & ceterorum quoque verſus boream cognitionem requiſiviſſe eum dicamus; aut occultaſſe hæc ei Gallos, nec, quæ debebant, profiteri ingenue ſatis aut aperire cuncta voluiſſe.

HÆc, quæ jam posita, addidisse obiter superioribus satis sit, licet ad rem, quæ agi à nobis instituta, haud proprie faciant, haud tamen præter eam fuerint. præsertim cum Cæsarẽ, Tacitum & ejusmodi authores classicos explicare eisq; adferre pleniorem lucem, quod ad Galliæ Britanniæque tam maritimos, quam terrestres districtus, haud leviter possint. Nunc, quod Capite 5 libri Secundi pollicitus jam dudum fui, proxime subjungam, Gasparem nimirũ Varrerium Lusitanum. Qui de Ophyrâ regione & ad eam Navigatione, brevem quidem sed accuratum Commentarium, sive appellare Dissertationem libet, Eboræ olim apud Lusitanos evulgavit. Cum enim allatæ à V. Cl. Iohanne Seldeno navigationes fere omnes sint factaque eorum, qui mari & classibus valuerunt, haud proletaria suo loco mentio, haud quaquam omittenda hæc nobis videbatur, à Rege omnium maximo Salomone in Ophyram directa. Vnde aurum ille aliaque suo cælo rarissima tantâ adferri copiâ curavit, ut ea, testantibus SS. scripturis, obvia paulatim viliaque haberentur. Vt taceam, quod præcipue institutum hoc spectat, quæri hodieque inter eruditos, quâ Orbis plagâ hæc habeatur Ophyra, quæri inquam, nec inveniri, alio huc aliisque vicissim aliò trahentibus. Quos inter omnes, meo animo, haud alium existimo id explicasse vel clarius, aut attigisse verum propius, vitatis, quæ incurrunt hîc plures, non unis absurdis, hoc ipso, quem damus, his, quæ sequuntur, pagellis, Varrerio.

CASPARIS VARRERII LUSITANI

De

Ophyra regione

ET


Ad eam Navigatione

DISSERTATIO.

D. IOANNI III.

Portugalliæ & Algarbiorum Regi inclyto, Africo, Æthiopico, Arabico, Persico, atque Indico,

GASPAR VARRERIUS S.P.D.



Um animadverterem, Rex inclyte; varias & diversas Doctorum virorum opiniones & sententias: de *Ophyra* regione, quæ olim Salomoni Judæorum regi, innumera pene auri pondo suppeditare solita esset, cepit me aviditas quædam inexhausta investigandi, quonam terrarum situ hæc regio esset posita. Nam alii *Sofalam* insulam credidere. Multi *Hispaniolam*, ut vocant, aliam nuper repertam insulam, opinati sunt. Plurimi apud Indos esse statuentes, nullum tamen certum atque definitum in tam vasta & ampla regione locum expresserant. Quo majore studio hujusce disquisitionis, ut dixi, incendebar. Itaque cœpi rem perpendere, auctores evolvere, quam rationem habuerint singulę uniuscujusque sententię observare, multa exquirere, plura ratiocinari, eodem denique investigando

ſtigando pervenire, ut Ophyram regionē: in illis oris, quæ in India ultra Gangem ſub tuo imperio & ditione ſunt, omnino eſſe deprehenderim. Quam vero recte aliorum ſit judicium, certe perdiligenter, quantum mea tulit & eruditionis & ingenii tenuitas. De qua regione hunc commentarium elucubratus ſum. Quem ut tibi dicarem: multæ me cauſæ, multæ impulerunt rationes. Vt enim præteream, oram illam Gangeticam, tuo nutu & ditione gubernari, ad eamque ſingulis quibuſque annis claſſes tuas navigare ſolitas, uti Salomonis auſpiciis factitatum olim fuiſſe proditum eſt, multa tibi cum ſapientiſſimo illo rege cōmunia eſſe comperiebam. Nam illi, ob mitem animi naturam: ad pacem quam ad bellum propenſiorem, Deus Opt. Max. ut templnm ſibi ædificandum curaret injunxit, non autem patri, eo quod multa cæde & humano ſanguine ſeſe cruentaſſet. Tu vero rex inclyte, non modo in ſumma pace & placidiſſima tranquillitate, hactenus regna cunctamque tuam ditionem ſtabiliviſti, verum religionem etiam Chriſtianam, tua pietate, prudentia, conſilio atque induſtria, quæ ſumma in te ſunt, auxiſti. Legem Euangelicam in remotiſſimis Orientis oris propagaſti, auguſta illic templa dedi-

cari jussisti. Ordines monachorum à pristinis institutis degenerantes, instaurandos &renovandos curasti. Nobilissimum gymnasium, omni disciplinarum genere extructum Conimbricæ fundasti, ut quod Salomon ipse solo pene nomine habuisse visus sit, tu reipsa cumulate præstitisse videare, nempe dulcissimam & saluberrimam & semper optatissimam cunctis nationibus pacem. Quis enim mortalium, unquam bellum non exhorruit ac summe detestatus est? Etenim ut torrens è montibus lapsus, hybernisque auctus imbribus: sata læta suo evertit impetu, atque aquarum violentia agros populatur, ita bellum vel justè susceptum: nefarium & horrificum per se est, omnia diripit, cuncta convellit: utpote quod ipsis etiam victoribus non minus quam victis exitiales soleat plerunq; exitus afferre, ita ut belluarum immanitati magis quam humanis ingeniis, convenire videatur, &, ut rectè dixit quidam, sic ab unoquoque suscipi oportere, ut à ratione stabiliendæ pacis non discedat. Quæ si absque bello confici & honeste conservari potest, quis adeo ferus inhumanusque sit, ut cum hoste confligere & ferro humanum sanguinem fundere, quam pacem malit? nisi qui omnino inimicus generis humani, à natu-

à natura informatus esse videatur? Quod si qui sunt, qui bellica consilia quietis cogitationibus anteponunt, inani quadam specie gloriæ decepti, ii omne rectum atque honestum peruertunt & labefactant, atque à Christiana pietate longè abhorrent. Nec conquisitis rationibus ad hæc confirmanda opus est, cum satis in promptu sint. In quo genere colendæ pacis, rex humanissime tantum excellis, ut, si exemplo tuo alij Christiani principes & reges, (pace quod omnium dixerim) ab armis civilibus abstinuissent, nihil dubiũ est, quin, jam Christo summo Deo restituta fuissent tot regna, ac tot provinciæ, quot illi Barbaræ nationes jamdudum ademerint: invitatæ magis fortasse bellis Christianorum intestinis, quàm rei militaris scientia, aut ingenti quadam animi magnitudine. Quæ dum vident nos domesticis dissidiis, veluti quibusdam pertinacibus verborum concertationibus implicatos, majora quotidie audent, ac eò jam audaciæ prorumpunt, ut, quod reliquum habemus, ingenti fiducia eripere aggrediantur. Quos tu, Rex invicte, tota animi contentione, omnique armorum vi exturbare, ab Africæ, Æthiopiæ, Arabiæ, Persiæ atque Indiæ possessione non desistis. Fortunet Christus

tam pios labores, aliosque Christianos reges ad hoc justissimum & honestissimum bellum erigat & inflammet. Quò Christianum nomen, non modo ereptas provincias & amissa recuperet imperia, verùm dilatet etiam augeat & amplificet, tuo & majorum tuorum exemplo. Hoc vero opusculum quodcunque est, quod tibi plurimis de causis dedicare constitui, precor obtestorque te, eo favore & benignitate prosequare, quibus jacentes soles erigere & humanitate regia fovere, ne in lucem prodire aliquando pertimescat. Rex invictissime Christus Opt. Max. Majestatem tuam salvam & incolumem servet & perpetuam illi donet felicitatem. Vale Eboræ v. Kalend. Decembris. M. D. L.

D. SE-

D. SEBASTIANO

summæ spei Portugalliæ & Algarbiorum Regi inclito, Africo, Æthiopico, Arabico, Persico atque Indico,

GASPAR VARRERIUS.

S. P. D.

DIcaverã augustissimo Regi Joanni III. auo tuo, Rex inclyte, Commentarium, quem decem ab hinc annos, de Ophyra regione composueram. Sed anteaquam edidissem naturæ concesserat tantus Rex ac tanti nominis, à Deo Opt. Max. (ut credere par est) ad illud concilium & cœtum beatorum è terris evocatus, ob plurima & præclara virtutum ornamenta, quibus illum, dum viveret, decorarat. Quando igitur nutus divini numinis te in demortui Regis avi tui locum suffecit, tam magno cunctorum præsertim tuorum omnium applausu, ut cum adoleverit ætas, sceptra tenens hæreditaria, ad Regnorum administrationem feliciter incumbas, prædictum Commentarium tibi dicandum

statui,

ſtatui, eo maximè conſilio, quod illas Indiæ partes, quibus regio ipſa *Ophyra* continetur, in partem quoque Regni tibi contigiſſe videantur. Quam regionem propterea exquiſita quadam curioſitate indagare arbitratus ſum, quod viderem multos varie de hac re ſenſiſſe. Quantum vero in hujuſmodi moleſto & operoſo negotio, quo me implicavi, conſecutus ſim, alii viderint, certe quod potui preſtiti, quantum per tenuem & literarum, & ingenii facultatem licuit. In qua regione, ut omnes tui & alieni, qui præclaram & excellentem & verè regiam iſtam admirantur indolem ſperamus, reddes Ophyriis pro auro, (quod rerum aliarum permutationibus, Salomon redimere conſueverat) inæſtimabiles legis Euangelicæ merces, Suſtines enim cum honorum & bonorum hæreditate, non paruam expectationem induſtriæ & avitæ virtutis imitandæ, & pro egregia innata indole fortaſſe etiam ſuperandæ. Nam cuncti majores tui reges, tam ex paterno quam materno ſanguine, maximam & ſingularem erga Deum ſemper præſtitere pietatem, & omnem hanc Hiſpaniæ Provinciam, ab impotentiſſimo Barbarorum dominatu armorum vi, & ſumma militari virtute eripuerunt,

puerunt, adeò ut quem quisque eorum locum, semel pedibus proculcaverat & ferro aperuerat, eundem manu strenua pugnando retinuerit. Nec intra Hispaniæ fines virtus tanta se ipsam continuit. In Africam trajecerunt, ut fugientes Barbarorum reliquias persequerentur, & funditus delerent. Ibi ingentes illorum copias parua manu sæpius profligarunt. Multa ibi oppida maritima, obsidione & oppugnatione ceperunt. Postea in Æthiopiam, in Arabiam, in Persiam, in Indiam denique arma converterunt. Quæ vero in iis Provinciis strenue gesserunt, hæc tu, Rex inclyte, & à tuis scire poteris, & apud Asiaticam historiam, ab auunculo meo doctissime & elegantissime scriptam, literis mandata facile cognosces. Alii ad longinquas Occidui orbis plagas, nunquam antea cognitas se contulerunt, multas illic Barbarorum provincias occuparunt, atque deleto impio idolorum cultu, Christi Euangelium latè propagarunt; ut nullus fere in toto terrarum orbe tam longè positus, nec tam abditus & ab hominũ consortio semotus sit locus, quem non majorum tuorum arma vel occupaverint vel terruerint. Nec ad eorum tot ac tantas virtutes imitandas, vel etiam superandas, ea
tibi

tibi desunt, quæ non parum optimo Principi formando conducere, semper viri sapientes arbitrati sunt. Nam ut prætercam magnam spem multis & non obscuris significationibus concitatam, & multarum, non adumbratam sed expressam virtutum effigiem, habes; apud Catharinam aviam tuam, illustrissimam Reginam & feminam lectissimam educaris, cujus domus quoddam magis virtutum domicilium quam aula; opimarum disciplinarum schola potius quam regia, jure nuncupari potest. Habes quoque intra ipsius aulæ tecta, Clarissimum Principem Henricum, Cardinalem amplissimum, ac Portugalliæ Infantem avunculum tuum, à Deo Optimo Max. tibi velut dono datum. Quem sapientissima Regia in tuorum regnorum curam & administrationem sibi socium ascivit; &, qui te priscorum morum atque vitæ sanctissimæ exemplo, multarumque & optimarum rerum doctrina imbuere & informare valet. Cujus dicto si te semper audientem præstiteris, sine ulla dubitatione tibi polliceri & confirmare possum, Rex inclyte, non fore cur omnes tui in te quicquam desiderent, sed futurum potius ut alii reges & te admirentur, & tuam æmulari virtutem maxime laborent. Habes præte-

præterea illuſtrimas Principes duas, Mariam, & Iſabellam, ſanguine tibi conjunctiſſimas, quarum utraque rarum quoddam eſt omnis & virtutis & probitatis documentum, quæ maximum afferre momentum, ingenteſque conciliare utilitates ad tuam educationem etiam poſſunt. Habes inſuper viros Principes, qui te cognatione attingunt, cæteramque nobilitatem, atque omnes aliorum ordinum Luſitanos, quorum egregia fides erga ſuos Reges perſpecta maxime ſemper fuit. Qui vitam ſuam, cum res ita tulerit, pro tua & tuorum regnorum incolumitate profundere nunquam dubitabunt. Habes quoque literarum Magiſtrum, quem sereniſſima Regina & excellentiſſimus Princeps Henricus, ex novo & ampliſſimo ſanctæ Societatis ordine, ad hoc munus delectum tibi dederunt, virum ſane & nobilitate generis, & literarum ſcientia, & morum claritate conſpicuum, à quo nihil niſi quod bonum decorumque ſit & Regia Majeſtate digniſſimum diſces. Quantæ, bone Deus, ad ſummam virtutem, vel excitandam vel conſtituendam facultates, quanta ad res optimè gerendas præſidia tibi adſunt rex inclyte? Quare macte virtute, omni contentione enitere, ut omnes tui

talem

talem te habeant qualem habere desiderant. Et paruum hoc nostrum munusculum tuo nomini dedicatum, pro tua humanitate singulari, benigne, precor, suscipias. Christus Deus omnipotens Majestatem tuam salvam & incolumem seruet, & felicitatem nunquam interituram tibi largiatur. Vale, Eboræ sexto Kalend. Maij. Anno M. D. L X.

ARGV-



ARGVMENTA COMMENTARII
De
OPHYRA REGIONE
GASPARIS VARRERII

TRes de *Ophyra* regione opiniones.
I. Rabani Mauri & Nicolai Lyrani, apud *Indos* esse.
II. Francisci Vatabli, *Hispaniolam* esse Oceani Occidentalis insulam.
III. Raphaelis Volaterrani, esse *Sofalam Æthiopici* Oceani insulam.
Primam sibi tuendam auctor suscepit, & refellitur secunda Hispaniolam à Christ. Columbo repertam esse: & an ea sit quam Carthaginenses repperisse ait Aristoteles.
Ptolemæi error Lusitanorum navigationibus ereptus.
Navigatio { Pœnorum duorum. Eudoxi cujusdã & Eudoxi Cyziceni. Hispanicarum navium. Hannonis Carthaginiensis. }
Reijcitur tertia opinio de Sofala insula.
I. Opinio de Indis comprobata.
Malaca oppidum Indiæ.
Iosephi Iudæi laus, qui C. Plinij æqualis fuit.
De Chersoneso aurea ubi nunc Malaca ditionis Lusitanorum.
Ormouza celebre Persiæ emporium.
Ganges fluvius hodie *Bengatti.*
Aurum ubi reperiatur.
Taprobane ubi sita, & situs Ophyræ.

Rabani Mauri & Lyrani de Ophyræ solo, & animantibus sententia;
Tigrium copia atque audacia.
Ioannes Barrius Indiarum Historicus Lusitanus.
Lestores aureæ Chersonesi finitimi Ptolemæi.
De Chrysa & Argyra, Mela & Plinius.
Lusitanorum audax in Indiam navigatio.
Navigandi origo rudis, cum rates primum adhibitæ.
Nautica pyxis priscis ignota, nuper reperta.
Magnetis lapidis mira vis.
Argonautarum & Ulyssis in navigando errores.
Lusitanorum navigandi industria laudata.
Christophori Columbi laus.
Causæ cur olim navigatum sit rarius, & diuturniore temporis spatio.
Classis Salomonis cur triennio tantum navigarit.
Tertia opinio Volaterrani de *Sofala* insula rejicitur.
Tharsis 3. Regum 9. an sit Africa.
Divo Hieronymo ubi sit Tharsis.
Africa Hebræis *Phut* hodie *Fez*.
Hebræos provinciis nomina à primis cultoribus dedisse ex Iosepho ostensum.
Alcayrum male à quibusdam *Memphim* nominari.
Tharsin non recte Africam appellare Rabinos.
Iudeorum inscitiæ quam nihil hodie tribuendum sit.
B. Hieronymi laus, & cur Carthaginem esse dixerit Tharsin.
Ophyra Carthago esse non potest.
Ophyram non esse Sofalam insulam vidit Georg. Agricola.

India cur in sacris litteris *Ophyra* dicta.
Philonis & Iosephi eruditorum Iudæorum laus.
Iudæorum hodie mira ignavia, inscitia, ac pertinacia.
Petrus Gallatinus de Hebraicis bene meritus.
Ophyra unde dicta Iosepho, & *Indiam* esse.
Phison fluvius Hebræis, qui Ganges est Indiæ.
De *Ophyra* & Hivilath, sententia B. Hieronymi & Oleastri, & Rabani Mauri, error vero Augustini Steuchi Eugubini.
Rabini Hebræorum caute legendi.
Divi Hieronymi summa linguæ Sanctæ peritia.
Thomæ Cajetani opinio rejecta.



COMMENTARIUS
De
OPHYRA REGIONE,

Lib. III. Reg. cap. IX. & X. & II. Par. XI. commemorata; Unde Salomoni Judeorum Regi inclyto, ingens auri, argenti, gemmarum, eboris, aliarumque rerum copia adportabatur.

GASPARE VARRERIO
Lusitano Auctore.

N monumentis rerum gestarum Salomonis, ingentes commemorantur divitiarum copiæ, quibus adeò Rex ille inclytus abundasse fertur: ut, præ nimia auri affluentia, cunctis regiæ supellectilis vasis, ceterisque usus & splendoris domestici ornamentis, ex auro factis uteretur: & argentum apud Hierosolymam id temporis copiosissimam urbem, nihili propemodum penderetur. Tantum auri vim (classe ad oram maris Rubri in hunc usum ædificata) advectam ex Ophyra regione narrat eadem Judæorum Regum historia. Verùm in quanam orbis terrarum parte hæc regio sit posita,

Cinctáne

cinctáne mari, an illi continens, silentio præterit. Nec quo nomine his temporibus nuncupetur, apud aliquem idoneum auctorem memini me legisse. Si qui verò sunt, qui in eo aliquam operam posuere, parum aut nihil consecuti mihi esse videntur. Ac priusquam ad hujus regionis cognitionem accedamus, de qua nostra futura disputatio est, visum fuit primùm quorundam referre sententias, quam quisque de eadem re tulit. Deinde ea, quæ ab illis sunt in hoc genere disputata; & , quæ nullam veritatis formam præ se ferre videntur, refellere. Postremò iis adhærere, quæcunque vera synceraque eos protulisse fuerint animadversa. Ex quo ordine serieque tractationis, & rerum ac rationum collatione, dilucidior emergat nostra, quam super hac ipsa re, sumus in medium prolaturi, sententia.

Rabanus Maurus, summo vir judicio & in sacris libris interpretandis satis exercitatus, regionem hanc apud Indos esse, nomenque invenisse ab *Ophyro* Iectani filio, memoriæ mandavit. Eamque terram auream, propterea quod ei aureum sit solum, nuncupatam. Quam nulla gens mortalium, sed leonum, aliarumque ferarum id genus multitudo ingens incoleret. Qua I. Opinio.

propter nullos ad eam ausos succedere; præter nautas, positis in statione navibus, quò facilius pateret perfugium, ab imminente ferarum maleficio, & tractu illo circumcirca ante per exploratores diligentissimè perlustrato. Quam vero humum ab ipsis feris egestam offendissent, ad naves exportasse, ex eáque tandem aurum eruisse. In hanc ferè sententiam discedit Nic. Lyranus, peritissimus & ipse sacrarum literarum interpres.

II. Opinio. Franciscus Vatablus Parisiensis, putat Ophyram regionem esse insulam *Hispaniolam*, in Oceano occidentali positam, nostrisque temporibus repertam. Atque ad id confirmandum nonnullas colligit rationes. Primum quod plurima auri idque optimi metalla gignat hæc insula. Deinde quod longissimis & maris & terrarum intervallis disjungatur à portu sinus Atlantici Asion gabero, è quo classis Salomonis navigabat in Ophyram regionem, ut tanta locorum disjunctio, cum tam diuturna trium annorum navigatione, à sacris literis commemorata, convenire videatur.

III. Opinio. Raphael Volaterranus nonnullos arbitratos fuisse memorat, insulam *Sofalam* in Oceano Æthiopico sitam, (quæ nunc in ditione

ditione Portugalliæ Regum est) esse Ophyram. Idque Ludovicus quidam Venetus, in quadam sua ab Ulissipone in Indiam navigatione, scripto ab eo prodita; sibi affirmasse certos homines apud eandem insulam in præsidio locatos dicit, sed quibus in ea re parum fidei præstitisset.

Hæc fere sunt, quæ, circa hujus regionis investigationem varia & diversa ii, quos modo nominavi, literis mandarunt. Sunt igitur, ut ea colligamus, tres orbis partes à se invicem disjunctissimæ, *India*, quæ Asiæ celeberrima provincia est: *Æthiopia*, quæ in Africæ partibus continetur. Et *Hispaniola*, quæ (ut diximus) in occidentali posita est Oceano insula: quæ sibi vindicare videntur hunc velut aureum principatum, sicut olim aliquot Græciæ civitates, suum unaquæque civem Homerum vindicabat.

Prima opinio, in qua duorum nec contemnendorum virorum cernitur summa consensio, partim ad rem & veritatem ipsam proxime accedere; partim dubia & incerta sane quidem continere mihi visa est. Dabimus tamen operam, quo pacto perspiciatur aliquam veritatis rationem, seu certè verisimilitudinem præ se ferre. I. Opinio.

Quod vero insula *Hispaniola* non sit Ophyra II. Opinio de Hispaniola.

phyra regio, adeò in promptu eſt, ut nullis nec argumentis, nec rationibus egeat. Verum quia communi judicio popularique intelligentiæ, quæ diſciplinarum rationes minus attingit, accommodandæ ſunt plerumque rerum argumentationes, id exiſtimavimus faciendum, etiamſi doctioribus minus gratum futurum eſſe videatur.

Primum omnium, illud maxime in confeſſo eſt, illam terrarum immenſitatem & ſe in maximam latitudinem effundentem, quæ jam ſatis peruulgato vocabulo *Terræ novæ* nuncupantur, quam, noſtra memoria Hiſpani duce Chriſtophoro Columbo Ligure, longis periculoſiſque navigationibus in Oceano Atlantico exhauſtis repererunt, non modo ætatę Salomonis Regis à nullis Aſiæ, Africæ, atque Europæ gentibus: ſed nec infinitis prope poſterioribus ſeculis fuiſſe cognitam.

Nec illi mea quidem ſententia audiendi ſunt, qui hanc inſulam eam ipſam eſſe arbitrantur, quam Ariſtoteles] prodidit Carthaginenſes olim inveniſſe ultra Gades, multorum dierum navigatione, legemque hujuſmodi conſtituiſſe, ut capitale eſſet, ſi quis eam incoleret, quia ſic conſultum fortaſſe videretur publicis illius Rei-

Ariſtotel.

publicæ

publicæ rationibus. Quis enim id pro certo affirmet in tanta insularum multitudine, quibus mare ipsum Atlanticum ad omnes cœli plagas veluti quibusdam maculis distinguitur? Sed esto, vera sint quæ de hac insula opinantur, nonne Salomon Carthaginis originem antecessit 150. annis ut auctores sunt Josephus, & Eusebius Cæsariensis Episcopus? Accedit huc nec esse probabile nec verisimile, insulam ab Aristotele memoratam, in ipso statim Carthaginis ortu fuisse repertam, sed potius postquam urbs illa Romani imperij æmula crevit, bonamq; Africæ partem imperio ac ditione tenuit. Quibus viribus aucta, potuit fortasse ad maris etiam imperium animum adijcere. Nam duorum Pœnorum longinquas navigationes, ex Strabonis, Pomponii Melæ, Plinii, & aliorum auctorum monumentis, constat fuisse multis annorum curriculis post conditam Carthaginem, nempe in ipso urbis incremento, &, ut ipse Plinius ait, florentissimis rebus Punicis. Præterea navigatio ipsa à mari Indico in Atlanticum, per Australem orbis plagam, non modo Salomonis ætate, nondum nota, sed nec satis explorata fuerat, usque ad tempora Emmanuelis Portugaliæ regis inclyti. Cujus classes velis auda- **Duorum Pænorum Navigatio.**

cibus magnum illum Oceanum longe lateque diffusum percurrentes, utramque Indiam citra & ultra Gangem penetraverunt: errorenque Claudii Ptolemæi Alexandrini illustris Mathematici, aliorumque existimantium Indicum mare, minime ad Oceanum Atlanticum pertinere, toti orbi summa cum laude eripuerunt. Nec illud me movet, quod Scriptores aliquot (in quorum est numero, cujus modo mentionem feci, Plinius) memoriæ prodiderunt, extitisse aliquos multis ante seculis, qui ab ortu in occasum, per magnum ac prope immensum illum maris circuitum navigassent, ut de quodam Eudoxo accepimus, qui (forte capite damnatus) cum iram Ptolemæi Lathyri Ægypti regis, quam incurrerat, declinare properasset, è sinu Arabico solvens fortunæ libidini & pelagi arbitrio se committens, usque Gades tandem pervenisse narratur. Sed nec me movent signa navium Hispaniensium, in mari Rubro ex naufragio reperta, tempore Tiberii Romanorum Principis. Nec navigatio Hannonis Carthaginensis à Gadibus ad finem Arabiæ, quam literis prodidisse etiam fertur. Nam hujusmodi navigationes etiam si fieri potuerunt, præterquam quod casu aut felicitate quadam potius accidisse,

ſe, mea quidem ſententia videntur, quam conſilio aliquo, aut ſcientia navigandi tantam incogniti & proceloſi maris vaſtitatem, tamen non tam probatæ vel illis vel poſterioribus ſeculis extitere: nec tantam fidem facere potuerunt, quanta opus erat, ad tam inuſitatam & periculis plenam navigationem aggrediendam. Suſpectæ namq; ut arbitror, vulgò maximè fuerunt. Quapropter Strabo nobilis Geographus, hiſtoriam, quam Heraclidem Ponticum narraſſe dicit, de certis navigationibus cujuſdam Eudoxi Cyziceni, tempore Euergetis ſecundi Regis Ægypti, tanquàm ineptam fabulam reijcit, & explodit. In qua ſcripſiſſe aſſerit eundem Eudoxum, à mari Rubro Æthiopiam delatum, lignum quoddam navigii, in quo effigies equi inſculpta erat, ex naufragio ſe reperiſſe. Quod cùm in Ægyptum detuliſſet, tandem à quibuſdam naucleris (noſtri maris forſitan navigationibus aſſuetis) Gaditanorum eſſe navium comperiſſe. Quo argumento ſatis ſibi perſuaſum eſſe aſſerebat Eudoxus, totius terræ globum undique Oceano circunfundi. Quæ, (tametſi vera extitiſſe crediderim) neutiquam refelleret nobilis Geographus, ſi in ea, qua fuit ætate, navigaretur tota illa pars Auſtralis

Ocea-

Oceani, quemadmodum à noſtris hominibus navigatur hodie, idque tanta facilitate, quanta mare noſtrum à cunctis fere nationibus Africæ & Europæ navigatur. Quando igitur illis temporibus, non modo non ita abſoluta, ut oportebat, & plena quadam cognitione hæc navigatio pernoſcebatur: nec ullis Geographicis Tabulis illuſtrata circunferebatur, quo littora & promontoria, portus, urbes, fluminumque oſtia, atque horum omnium ſitus, ex certa cœli & ſiderum obſervatione internoſci quocunque tempore adirique poſſent, ſed etiam à Claudio Ptolemæo diſciplinarum Mathematicarum peritiſſimo omnino ſublata fuerat, qui fieri poterat, ut ætate Salomonis notum eſſet, quod nulla tot ſeculorum poſteritas, præterquam memoria noſtra, uſu & experientia conſecuta eſt?

Sed eſto, *Hiſpaniola* inſula Ophyra ſit regio. Quorſum attinebat per tot vaſtiſſima vagari maria, & univerſum pene orbem laborioſiſſima navigatione, infinitis pene & caſſibus & erroribus obnoxia, peragrare; ſi per fretum Herculeum è noſtro mari in Atlanticum exeuntibus, compendiaria navigatione & breviore temporis intervallo, illuc licebat peruenire? Jam illud prætereundum cenſeo, quod hæc inſula,

ula, præter aurum, nihil earum rerum gignat, quæ ex Ophyra Salomoni apportabantur, videlicet gemmas pretiosissimas, ebur, pavones, simias, & ligna optima, ex quibus citharæ, aliaque Musicorum organa fabricabantur. Suspicor Vatablum istuc ipsum hausisse ex libris Petri Martyris Anglariensis. Is enim narrat Christophorum Columbum, cum primum hanc insulam reperisset, atque Indiæ partem aut certe illi finitimam, ob plurimam auri ubertatem illic animadversam, esse existimasset, persuasum habuisse Ophyram esse.

Quòd verò nec *Sofala* insula, sit Ophyra regio, quam, supra diximus Volaterranum ab aliquibus *Ophyram* fuisse existimatam, commemorasse, & quam Ludovicus Venetus, cum illuc appelleret, idem sibi Lusitanos quosdam affirmasse significat; ex toto nostræ disputationis contextu, facile apparebit, quàm recte judicaverit Venetus, illos id falso opinari. III. Opinio de Sofala. insula.

Hic igitur jactis velut fundamentis, reliquum est, ut in medio ponamus rationes, quibus nostra de hac ipsa re tota nititur sententia. Flavius Josephus omni genere doctrinæ instructissimus, in historia sacrorum librorum, quam more pene Paraphrastico I. Opinio confirmata.

ſtico interpretatus eſt, hanc regionem ſcribit apud *Indos* eſſe, atque vulgò ætate ſua *Terram Auream* nuncupatam fuiſſe. Cujus verba ſubijcienda duximus ad pleniorem hujus ſuſceptæ tractationis intelligentiam. Ait enim. *Habuit autem* (Salomonem intelligit) *ad ædificandas naves beneficio regis Hiræ. Ipſe namque ei multos viros gubernatores & in marinis rebus edoctos miſit; quos juſſit navigare cum diſpenſatoribus ſuis ad locum, qui olim Ophyra, nunc* Terra Aurea *nuncupatur* (eſt enim in India) *ut aurum deferrent, & colligentes quadringenta talenta, ad regem denuo ſunt reverſi.* Ex quibus ſatis apparet non ſolum antiquam & peruulgatam, ſed clarorum etiam virorum hanc fuiſſe ſententiam. Fuit namque Joſephus Græcarum literarum longe peritiſſimus, & in evoluendis Græcis auctoribus exercitatiſſimus, ut ejus libri teſtantur, quos contra Apionem Grammaticum Alexandrinum ſcripſit, multiplici rerum doctrina & cognitione refertos. Quo in genere tantum excelluit, ut ob ingenii elegantiam, ſtatua ei Romæ publice poſita fuerit, & de quo ſatis præclarum Elogium exſtat apud divum Hieronymum in libro *De claris ſcriptoribus.* Cujuſque ſeptem libri *de captivitate Judaica* publicæ biblio-

Indi.

lib. 8. Antiquit. Iudaic. cap 2 (aliis 6) & libr. 1. adverſus Apionem.

Ioſephus.

thecæ

thecæ ſunt traditi, ut eodem libro idem vit ſanctiſſimus teſtatur. Floruit principatu Veſpaſiani Imperatoris, eique cum primis charus fuit. Quo tempore C. Plinius, totum curſum, quem Romani terra, marique ſingulis quibuſque annis, in Indiam tenebant, ſumma cum diligentia ſcripſit. Quo loco etiam commemorat ampliſſimas pecunias, quas quotannis India ex ærario Populi Romani, in redimendis aromatibus aliiſque id genus mercibus exhauriebat. Quemadmodum apud nos forſitan peſſimo publico fieri videmus, & non ſine justa querela maximoque diſpendio publicarum Luſitaniæ rationum. Quo circa cùm idem Joſephus, tam varia multarum rerum cognitione, & doctrina polleret, atque omnis antiquiratis præſertim Judaicæ, acutiſſimus eſſet indagator, multaque, vetuſtate jam pene obruta è tenebris eruiſſet, omniſque regio Jndiæ illis temporibus, quibus ipſe vixit, Romanorum navigationibus explorata, ab aliarumque nationum mercatoribus ſatis perluſtrata foret, haud equidem conſentaneum videtur, Ophyræ regionis notitiam, ita ex hominum memoria excidiſſe, ut, incuria ſeu oblivione penitus exoleſceret. Quarè Joſephus ità ipſam apertè rem locutus eſt,

ut nihil ſignificantius dici poſſet, quàm regionem hanc apud Indos eſſe, & *Terram Auream* nuncupari, adeo ut digito pene commonſtraſſe videatur. Nam Claudius Ptolemæus eam ipſiſſimam, (ut Plautino more loquar) in India ſitam ſcribit, libro ſeptimo vndecimæ Tabulæ Aſiæ, his verbis. *Super Argenteam autem regionem, in qua multa dicuntur eſſe metalla non ſignata, ſuperiacet autem Aurea regio Beſyngitis appropinquans, quæ & ipſa metalla auri quum plurima habet.* Hæc Ptolemæus. Quoniam vero ultra peninſula eſt: ad quam mercatores ex Aurea regione exque inſula Somatra, tanquàm ad nobiliſſimum totius Orientis emporium, maximam (ut hodie fit) auri copiam conferrent, evenit, ut *Aurea Cherſoneſus* appellaretur, cujus omnes meminere Geographi, omniumque maxime Prolemæus. Quæ ſine controverſia eadem ipſa eſt, ubi oppidum nunc *Malaca* poſitum, ſub imperio ac ditione Portugalliæ regum eſt, permanetque & durat ad hoc tempus, apud idem oppidum celebris cunctarum rerum mercatus, quò omnes negotiatores Orientalium partium, emendi & vendendi gratia confluunt. Cui oppido, propterea quod in extremitate cujuſdam promontorii, quod Ptolæmeus *Malei-*

Aurea Cherſoneſus.

Maleicolum appellat, ſitum eſt, nomen *Malaca* inditum exiſtimo. Eamque terræ lingulam in altum excurrentem, mare, vi reciprocantis æſtus, à continente, cui tamen ponte conjungitur, abſtulit. Quo effectum eſt, ut *Malaca* in inſula remanſerit. Quemadmodum inſula *Ormuzia*, (quæ ab incolis alio nomine Gerum appellatur) ubi totius Perſiæ celebre emporium eſt, nomen traxiſſe videtur ab Armuzio promontorio in ſinus Perſici fauces projecto, & à regione Armuzia à Plinio in eadem Carmaniæ parte, ubi hodie Ormuzium regnum eſt, commemorata. Hæc idcircò meminiſſe libuit, ut gratiam inirem à curioſis in exquirendis Antiquitatis veſtigiis. Verum, ut ad propoſitum revertamur, ſi quis Ptolemæi Tabulas, cum noſtris Geographicis Tabulis, à peritiſſimis nauticæ artis hominibus confectis, diligenter contulerit, jam profectò reperiet inter ſinum Gangeticum (nunc *Bengalicum* appellatum) & auream Cherſoneſum, Auream & Argenteam regionem eſſe poſitam. Quo terrarum ſitu Peguſium regnum eſſe nemini dubium eſt. Atqui huic noſtræ opinioni confirmandæ, ſatis fidem debet conſtituere, quod citra & ultra Gangem nulla pars Indiæ ſit, quæ aurum gi-

Ormuzia.

Ganges.

gnat præter *Pegusium & Somatram* insulam, quam multi falsò opinati sunt esse *Taprobanam*. Ut enim à nobis in quibusdam nostris Geographicis observationibus satis disputatum est, constat eam esse insulam *Taprobanam*, quæ his temporibus eodem ipso penè nomine Seilam appellatur, quo jam olim, auctore Ptolemæo, fuerit nuncupata. Quapropter omnem illam oram, quę Pegusiis, Malaca, & Somatra continetur, apud divinam historiam, *Ophyram* regionem esse appellatam facilè contenderim, ob locorum vicinitatem, quam inter se habent, ut nullus terrarum interjectus reperiatur. Nam ora ea maritima à sinu Gangetico in Pegusium, hinc autem in Malâcam excurrit. Ab hac verò urbe ad Somatram, exiguus maris trajectus interpositus est. Cujus incolæ, illi præsertim qui *Benancabi & Barri* nuncupantur, ingentem auri vim ad Malâcæ mercatus semper importare consueverunt. Præterea, illud maximo ad hanc rē argumento esse arbitror, quòd ingens cæterarum rerum copia apud Pegusium sit, quæ præter aurum & argentum ex Ophyra regione Salomoni afferebantur. Nam gemmas cujuscunque generis pretiosissimas Indorum nulli præterquam Pegusij vendunt. Simias & Pavones quam plurimos

Taprobana ubi.

Ophyra regio, ubi.

plurimos habent, Eboris ingentem numerum. Silvis lignorum pretioſorum, ex quibus apud nos citharæ aliaq; id genus Muſices inſtrumenta conficiuntur, longè plurimis abundant.

Sed priuſquam ad reliqua totius diſputationis veniamus, diſcutienda videntur ea, quæ Rabanus Maurus & Nicolaus Lyranus protulere, de Ophyra regione aureum ſolum habente, deq; leonibus aliiſque maleficis animantibus, quæ Salomonis ætate eoſdem terræ tractus adeò infeſtabant, ut ſine maximo periculo è navibus egredi nõ liceret. Hæc quanquam ſimilia fictis fabulis, & finitima videntur iis, quæ Herodotus & Ariſtæas Proconneſius (ut à Plinio traditur) ſcriptum reliquere, de gryphibus aurum cuſtodientibus, & Arimaſpis rapientibus; aut iis, quæ Pomponius Mela tradit, de formicis magnitudine maximos canes æquantibus, quæ prædictorum gryphium more, aurum etiam egeſtum in multorum exitium cuſtodiant; tamen maximè exploratum eſt, vaſta Peguſiorum & deſerta loca, tum tigrium, tum elephantorum eſſe longè refertiſſima. Atque tantam earundem ferarum eſſe copiam, apud *Auream Cherſoneſum*, (quæ regio Peguſiis finitima 1360 paſſ. patet longitudine) ut nulla

Refellitur Rab. opinio.

ibi oppida, nullæ habitentur urbes, præter Malâcam & perpaucos barbarorum vicos, ob truculentarum tigrium (quas *Reimones* appellant) immanitatem & maleficia, adeò ut noctu nullum sit miseris accolis perfugium, præterquàm succensi ignes, quos maximè formidat hoc animal, & arborum summitates. Si enim non altius quam ad altitudiuem 20 pedum ascendunt, à tigribus pernicissimo saltu corripiuntur. Ac vulgò memoratur apud nostros, quandam tigrim, magnum aliquando facinus intra urbem Malâcam edidisse, jam tum cum illic rerum potiremur. Ad tantam siquidem prorupit audaciam, sæviente prædæ aviditate, ut nocte concubia in urbem irrumpens, hortumque quendam invadens: tres servos ad trabem ob flagitia vinctos arriperet, ejsque cum trabe simul dorso impositis, maceriam etsi præaltam saltu tamē evasisse. Idque, & accipimus & à multis viris auctoritate gravissimis, & legimus in historia Asiatica doctissimi, atq; clarissimi viri Joannis Barrij avunculi nostri. Quod verò jam olim, tigres & elephantos habuerit Aurea Chersonesus & finitima tota illi regio, auctor est Ptolemæus. Qui postquam Chalcitim regionem, atque aliquot vicinas gentes descripsit: tandem ad Doa-

Ioan. Barrius Hist. Indiar.

nos

nos veniens, postq; ipsos ad montana quę-dam tigres & elephantes habentia, descendit: juncta Lestorum regioni. Qui *Lestores* finitimi sunt Aureæ Chersoneso: sed ejusdem verba hæc ferè sunt. *Postea Daonæ ad flumen ejusdem nominis, & post ipsos montana sunt, juncta Lestorum sive Prædonum regioni tigres habentia & elephantes.* Potuit enim fieri ut Salomonis ætate, in qua nondum terrarum orbis universus tanto hominum cœtu & frequentia; quanta posterioribus seculis habitaretur, Pegusiorum regio adhuc inculta ac deserta esset. Postea verò quàm finitimæ gentes animadvertissent multos mortales ad eam, auri adipiscendi gratia commeare, hujus aviditate quoque allectæ in animum induxissent ipsam Auream regionem incolere, ut auro potitæ rerum multarum, quibus carerent, permutationibus augerentur. Qua de causa hominum crescente multitudine, feræ paulatim loco cedentes, ad solitudinē confugerent. Quæ in *Aurea Chersoneso* fieri non potuissent, propterea quòd nulli mortalium, ob soli sterilitatem utilitate aliqua ad eam habitandum allicerentur: exceptis locis aliquot maritimis ad mercaturas faciendas accommodatis, quorum est *Malâca* illius regionis metropolis. Quod verò regio

Ophyra solum aureum habuerit, ut afferunt prædicti Rabanus Maurus, & Nicolaus Lyranus, nemini mirum videri debet, illos istuc ipsum credidisse, quippe cum pervulgatum id multis ante sæculis apud omnes esset, ut Pomponius Mela & Plinius testantur. Ait enim iste: *Extra ostium Indi Chrysæ & Agyræ fertilis metallis, ut credo. Nam, quod aliqui tradidere, aureum argenteumque iis solum eße, haud facilè crediderim.* Mela autem: *Ad Tamum* (est enim Indiæ promontorium) *insula est Chryse, ad Gangem Argyre, altera aurei soli* (ita veteres tradidere) *altera argentei. Atque ita, ut maximè videtur, aut ex re nomen, aut ex vocabulo ficta fabula est.* Hæc Plinius & Pomponius. D. etiam Hieronym. in epistola ad Rusticum monachum nonnulla commemorat, quæ iis convenire videntur. Quæ ideò commemorare visum est, ne vituperatores aliquot libidine obtrectandi hinc ansam arriperent, ad Maurum & Lyranum reprehendendos. Id enim illos hinc liquido constat ab antiquis auctoribus accepisse. Nec modò opinio ea, constanti fama multorumque scriptorum literis, antiquis illis temporibus celebrata est, verùm etiam ad nostram usque ætatem & apud Indos emanavit, adeò ut multi Lusitanorum, auri cupiditate

Plinius lib. 6. cap. 21. Pomp. Mela lib. 3. cap. 8.

piditate inducti, magnos adierint labores, non ſine maximo vitæ diſcrimine & rei familiaris jactura, in perquirenda & inveſtiganda hac Aurea regione. Increbuerat enim fama, certos homines, caſu in eam regionem nave quondam appulſos, ibique, dum fortè idoneam ad navigandum tempeſtatem nanciſcerentur, aliquot dies cõmoratos, cum ea, quibus ad inſtruendam navim opus erat, pararent, & alia non ſuppeteret ad ſaburram materia, præterquàm humus, magno ejus pondere in carinam injecto, navim firmaſſe. Atque illinc ſolventes urbem Goam tandem perveniſſe. Cum verò ea navis poſteris temporibus vetuſtate corrupta, in navalibus diſſolveretur, & aurei grumuli in ſaburra lucentes, homines ad ſe allexiſſent, inventum aurum fuiſſe, atq; hinc coniecturam cepiſſe, humum illam ex Aurea regione caſu non ſcienter exportatam. Porrò de ijs, quæ de aureo ſolo huius regionis, deque malefico genere animalium eandem infeſtante produntur, nihil definire certum mihi eſt, eò quòd ſint adiudicandum difficillima. Verum ſeu ex egeſto à feris ſolo, aurum eruerint, ſeu ex rerum permutationibus (quod vero ſimilius magiſque conſentaneum eſt, & diuus Hieronymus, vt inferius apparebit, innue-

Luſitan. navigatio in Indiam.

re videtur, vel quauis alia ratione comparauerint, hæc quomodo sese habuerint, affirmare nihil dubitaverim facta atq; transacta fuisse, in ea ora maritima, quæ Pegusiis, aurea Chersoneso, & insula Somatra, (vt iam conclusimus) circunscribitur.

Sed ijs cognitis, ad aliam partem disputationis, quæ non paruam dubitationem habere videtur, oportet accedamus. Narrat siquidem eadem rerum Judaicarum historia, *classem Salomonis* (ut ejusdem verbis utamur) *cum classe Hieræ, semel per tres annos, ire in Tharsis.* Quæ verba in hunc sensum explicat Josephus, ut hujusmodi navigationem ante triennium, haud quaquã fuisse confectam & absolutam existimet. Nos verò, tametsi hunc locum aliter ac censet Josephus intelligi posse (ut postea disputabimus) arbitramur, tamen pro virili parte, quantum fieri possit, ne aliquis resideat scrupulus, nonnullas colligemus rationes, quibus illum rectè sensisse intelligatur. Porrò, ut causas dubitationis explicemus, cum hac tempestate usu & experientia compertum sit, illos, qui à mari Rubro secundo cursu *Auream Chersonesum* navigare, atq; indè commodè renavigare solent, totam navigationem decimo mense, aut summùm anno conficere, apparet omninò

3. Reg. 10.

Josephus Judæus.

omninò incredibilis & absurda illa nauigatio, quæ cum vnum atque idem maris spatium percurreret, id præterquàm triennio non absolveret. Quæ causa impulit Franciscum Vatablum, vt crederet tam longi temporis intervallum, cum longissima huiusmodi convenire navigatione, qualis esset à sinu Atlantico maris Rubri ad *Hispaniolam* insulam. Ex quibus facile intellectu est, aut Ophyram regionem non esse ad oram maritimam Pegusiorum & Aureæ Chersonesi atque Somatræ, aut, tam diuturnam navigationem, quæ perpetuum triennium complecteretur, esse prorsus vanam & commentitijs fabulis quàm vero similiorem. Sed si rectè diversæ temporum rationes expendantur, jam profectò non inepta nec absurda hæc Josephi interpretatio judicabitur. Etenim si huius facultatis, quæ vocatur navigatio, sivè artis sivè scientiæ volumus considerare originem, facilè reperiemus, eam sicut aliarum artium & disciplinarum principia, ab exiguis initijs esse ortam atque deductam. Nam cum principio animadvertissent homines, magnas atque ingentes utilitates in fluminum & maris navigationibus esse constitutas, cœperunt inire rationem, qua eis ad vitæ usus necessarios uti commodè & vtiliter

Navigationis origo. vide Horatii Odā 3 Illi robur & æs triplex &c.

ter possent. Itaque primum rudis illa ætas, trabes invicem connectere atque conjungere cœpit, quas *rates* appellavit. Quibus primò in fluminum transvectionibus utebantur, deindè per ipsa flumina vecti ad finitimos importabant ea, quorum maximè indigere intelligebant, ex quorumque permutationibus alia similiter compararent, quibus etiam ad vitam tuendam & propagandam carere non poterant. Postmodum scaphas & lembos aliaque id genus minuta navigia, per solertiam excogitarunt, velis & remis, multisque rebus ad usus nauticos pertinentibus, paulatim inventis, non modo instruxerunt, sed etiam aliis ad decorem & ornatum appositis illustrarunt. At crescente jam cum longa experientia, & frequenti hujus rei usu audacia, in altum se majoribus navigiis contulerunt. Primum propter oram maritimam navigantes, propinquitate continentis animos faciente, deinde ad interiora maris eos ducente peritia, cœpere procellosis fluctibus se opponere, & jam audacter vẽtis vela dare, atque confidenter tandem & strenuè longa maris spatia transmittere. Unde colligitur, hujus artis nauticæ scientiam, paulatim & per quosdam velut ætatis gradus crevisse, adeò ut, auctore Plinio,
remum

remum Copæ & ejus latitudinem Plateæ, vela Icarus, Tyrrheni anchoram, malum & antennam Dædalus, roſtra Piſeus, Salaminij hippagum, & alia alij diverſis temporibus invenerint, & plurima adjumenta huic arti ſubminiſtraverint. Nec in tot ſæculorum ætatibus, ad perfectam illam & omnibus ſuis numeris expletam navigationis rationem pervenerunt, uſq; ad illud tempus, in quo multa quoque Mathematices diſciplinæ, ad rei nauticæ facultatem maximè pertinentia, fuerunt excogitata inſtrumenta. Quorum illud extitit, valde poſt homines natos admirandum, quod vulgò *Acum nauticam* appellant: Quæ Septentriones nimia & mira quadam inſita aviditate, ex vi contactus magnetis lapidis contracta, appetit: & cuſpide veluti digito perpetuò oſtendit. Cuius vim, nativamque lapidis in Arctos ſemper reſpectantis, antiquis ignotam fuiſſe manifeſtum eſt. Hinc illa ſumma admiratio, quam Argonavis Argonautarumque à Theſſalia in Colchos per quam brevis navigatio illis temporibus excitavit. Hinc Vlyſſis neſcio quos errores, priuſquam in Siciliam inſulam ab Ilio perveniſſet, intra tam exigua maris ſpatia exhauſtos, admirata eſt maximè Antiquitas, quos illuſtris ille Græcus poëta propterea egregijs

Plin. libr. 7. cap. 56.

Nautica pixis.

Magnetis vis.

Argonavis.

Vlyſſis errores & Æneæ apud Virgil. 3. Æneid.

egregijs decoravit numeris. Quum igitur (ut diximus) hæc ars non ſubito, ſed per longa temporum intervalla nacta fuerit incrementa, repertæ ſunt compendiariæ navigationes, uſu & conſuetudine navigandi. Nam, ut Plinius refert, cum ab Siagro Arabiæ promontotio (quod hodie *Fartacum* appellatur) Patalam Indiæ vrbem petere conſuetum eſſet, poſterior ætas breviorem tutioremque eſſe navigationem, ab eodem promontorio ad amnem Zizerum, Indiæque portum credidit, diuque ita navigatum eſſe dicit, donec avidi & lucro inhiantes mercatores, aliã magis compendiariam navigationem invenerunt, qua ſingulis quibuſque annis Romani in Indiam navigabant. Quo in loco (ut ſupra memoravimus) diligenter ſcribit, quem curſum Romani terra marique, dum Indiam peterent, ad ſpecies aliaque id genus aromata comparanda tenebant: & quo anni tempore hinc atque illinc proficiſcebantur, quantoque ſpatio (quod annuum eſſe ſignifiat) totum illud iter, uſque dum reverterentur conficiebant. Ità igitur uſque ad Plinij tempora certos quoſdã progreſſus feciſſe videtur navigatio. Verum tamen multò ampliores uſque ad noſtram ætatem. In quo genere jure laudantur Luſitani,

Luſitan. laus.

tani, qui magnum fundamentum perpetuæ ſuæ commendationis & famæ iecisse, atque memoriam nominis ſempiternam conſecuti eſſe videntur; apud quos magis quam in cæteris nationibus hæc ars exculta eſt. Cum primi mare Atlanticum navigantes, cunctam Mauritaniæ & Æthiopiæ oram, uſque ad magnum & vaſtum illud *Bonam Spem* Promontorium; maris interiora magno impetu irrumpens, atque ab antiquis Geographis ignoratum, ſumma cum animi fortitudine & ſolertia, & magnis tandem exantlatis laboribus explorarunt, temporibus Infantis Henrici & Ioannis Portugalliæ regis ſecundi, & plurimis annis antequam Christophorus Columbus Ligur occidentalem Oceanum navigaſſet; viamque munitam poſteris reliquêre, qua perfectum eſt, ut poſtmodùm in Indiam ab Uliſſipone, ſumma, ut hodie fit, facilitate navigaretur. Vt igitur hanc partem diſputationis concludam, in illa ætate, in qua necdum tam ſtrenuè tantaque artis peritia maria percurrebant homines, interdiu navigare, noctù verò in anchoris diem expectare conſueſcebant. Vt nunc quoque fieri videmus in ſinu Arabico, propterea quòd illic & vadoſum & maximè ſcopuloſum ſit mare. Tum etiam

Christop. Columbus Ligur.

quoad

quoad fieri poterat, propter oram maritimam, atque secundis duntaxat flatibus navigabant, eò quòd nondum alijs ventis vela dare, ad usumque & utilitatem navigandi trahere noverant, ut posteris temporibus inventum est. Alia tam tardæ ac lētæ navigationis causa erat, quòd ob maris & locorum maritimorum insolentiam, naucleros pro diversitate regionum mutabant, aliosque mutuabantur vicinarum navigationum scientissimos: uti à nostris hominibus factitatum fuisse satis compertum est, cum primùm in Indiam navigarunt, propterea quòd certiorem & tutiorem cursum ignorarent. Sed alia quoque hujusce rei erat causa quòd cum id tēporis navigia, propter modicam magnitudinem, tantum cibariorum numerum capere nequivissent, opus erat aquandi & commeatus gratia, sæpius apud maritima loca ad id maximè opportuna, moras producere. Ad hæc mare Indicum (ut satis notum est) hyeme, quæ apud Indos à Kal. Aprilis circiter Kalen. Octobris protenditur, adeò procellosis & immodicis tempestatibus agitatur, ut infestū & invium hoc tempore efficiatur. Præterea sunt in illo cœlo stati ventorum flatus, (quemadmodum apud nos *Etesiæ* certo æstatis tempore,) quos

Mon-

Monsoas vocant, quibus exceptis, idoneæ ad navigandum tempestates nullæ sunt. Quare oportet hos tempestiuos ventos expectare. Nam qui à sinu Arabico seu Persico vel ab urbe Goa in Auream Chersonesum navigant, nec statim illinc renavigare valent, sed tantisper ibi manere opus est, dum hujusmodi venti flare incœperint. Quapropter tres aut quatuor, & amplius menses apud Malâcum commorantur. Itaque cum illa ætate non admodum vigeret, ut postea viguit, hæc navigandi scientia, cumque dies non noctes & proximè oram maritimam navigarent, ex quo tardiores efficiebantur navigationes, propter longos orarum anfractus, veluti quosdam in semet reductos Mæandros, idque verno non hyemali tempore. Deinde, cum in crebras, tum aquationes, tum lignationes, & in perquirendos novos naucleros, atque in expectandos commodissimos ventorum accessus, postremò in aurum comparandum, seu rerum permutationibus, seu quacumque alia ratione id fieret, non modicum temporis insumendum esset, nihil mirum videri debet, si totum cursum antè triennium conficere nequiverint. Mitto instrumentorum nauticorum duplices apparatus, quibus illa ætas in nautica disci-

plina

plina nondum satis exercitata, opinor non utebatur. Quorum penuria solet sæpe numerò cursus navigationum retardare, dum reficiendis navibus, vi ventorum ac tempestatum corruptis incumbunt, ut usu venire videmus nostris navibus ex India huc properantibus, quæ in insula *Mosambique* hyemare eisdem de causis sæpissimè coguntur. Quãquam, ut superius diximus, illa verba sacræ historiæ, *semel per tres annos*, etiam in hunc sensum & fortasse veriorem explicari posse arbitramur, ut trinis annis semel classis Salomonis solita sit in Opyram regionem navigare, non autem quod perpetuos tres annos in hanc navigationem insumpserit. Accidere namque poterat, ut ex tam longa navigatione naves adeò dissipatæ & dissolutæ redderentur, ut integrum triennium, tum in navigatione peragenda, tum in classe, maris iactationibus corrupta & conquassata, reficienda insumeretur. Quemadmodum accidere nostris navibus in Indiam navigantibus solitum est, vt quam paucissimas extitisse credamus, quæ duas amplius navigationes, in tam longinquas oras perficere quiverint. Nec sic integræ omnibus suis partibus redierint, vt non refici & instaurari ad iterum navigandum, malis, carinis, lateribus,

3. Reg. 10.

lateribus, proris, puppibus, antennis, velis, gubernaculis, aliisq; hujusmodi ad earum robur & firmitatem stabilendam pertinentibus, opus eis fuerit. Quapropter mirari desinamus, cum Romani in ea ætate, in qua jam ars ipsa navigandi ampliores fecerat progressus, plurimum terra marique possent, annum tamẽ (ut auctor est Plinius) in eadem Indica navigatione, quæ citra Gangem continebatur, absumerent, classem Salomonis longius (quippe ultra Gangem) progressam (qui nec opibus, nec navali disciplina, antiquis illis temporibus, nondum satis cognita nec culta, cum Romanis esset conferendus) ante triennium conficere nequivisse. Sed hæc hactenus.

Sequitur, ut de reliqua parte dicendum sit, quam in ultimum locum nostræ disputationis conjicimus. Quæ quorundam hujusmodi continet sententiam, ut statuant insulam *Sofalam*, quam ultra Bonam Spem promontorium, ad oram maritimam Æthiopiæ sub Ægypto positam commemoravimus, esse *Ophyram* regionem. Idque hujusmodi rationibus concludunt. Cum id vocabulum *Tharsis* apud sacras literas (ut ipsi volunt) *Africam* significet, cumq; insula Sofala in Africæ regione sita sit, illicq; plurima auri suppetat ubertas, quod fini-

III. Opinio Volaterrani.

Tharsis in sacris literis an sit Africa.

V timi

timi Æthiopes,qui eorum lingua *Cafri* appellantur, ad prædictam insulam importare soliti sint., ut ejus permutationibus, ea, quibus carere non possunt, à nostris hominibus ibidem degentibus nanciscantur, satis apparere iis sic constitutis, & consequens esse quod statuunt,*Ophyram* scilicet esse *Sofalam*.

Verùm hæc quo verius ac rectius intelligi dijudicarique valeant, cunctos sacrorum librorum locos, in quibus hæc navigatio commemoratur, subjiciemus. Deinde, quæcunque in rei hujusmodi disquisitione sunt posita, in omnes partes disputabimus. Postremò, si quod aliquorum peccatum, in hac ipsa re dijudicanda sit animadversum, indicabimus. Sed ipsa jam Sacræ historiæ verba diligenter attendamus. Ait enim: *Classem quoque fecit rex Salomon in Asiongaber, quæ est juxta Ailath in littore maris Rubri,in terra Idumeæ,misitque Hiram in classe illa, servos suos viros nauticos & gnaros maris,cum servis Salomonis. Qui cum venissent in Ophir sumptum inde aurum, quadringentorum viginti talentorum, detulerunt*
3. Reg. 10. *ad regem Salomonem*. Et sequenti capite. *Sed omnia vasa de quibus potabat rex Salomon erant aurea, & universa suppellex domus saltus libani de auro purissimo. Non erat argentum,*

gentum, nec alicujus pretij putabatur in diebus Salomonis, quia classis regis, per mare cũ classe Hiram, semel per tres annos ibat in Tharsis, deferens inde aurum & argentum, & dentes Elephantorum, & Simias & Pavones. In 2 verò lib. Paralip. cap. 8 ait: *Tunc abjit Salomon in Asiongaber, & in Ailath ad oram maris rubri, quæ est in terra Edom. Misit ergo ei Hiram, per manus servorum suorum, naves & nautas gnaros maris, & abierunt cum servis Salomonis in Ophir, tuleruntq; inde quadringenta quinquaginta talenta auri, & attulerunt ad regem Salomonem.* Nono autem c. idem iterum refert: *Sed & servi Hiram cum servis Salomonis, attulerunt aurum de Ophir, & ligna Thyina & gemmas pretiosissimas, de quibus fecit rex de lignis scilicet Thyinis, gradus in domo domini & in domo regia, Citharas quoque & Psalteria cantoribus. Nunquam visa sunt in terra Juda ligna talia.* Et in eodem cap. eadem inculcat, dicens: *Omnia quoque vasa convivij regis erant aurea, & vasa domus saltus Libani ex auro purissimo. Argentum enim in diebus illis pro nihilo reputabatur, si quidem naves regis, ibant in Tharsis cum servis Hiram semel in annis tribus, & deferebant inde aurum & argentum, & ebur & simias & pavones. Magnificatus est igitur Salomon super omnes reges terræ, præ divitiis*

& gloria. Præterea c. 20 sic ait: *Post hæc autem injit amicitias Josaphat rex Juda, cum Ochozia rege Israel, cujus opera fuerunt impiissima, & particeps fuit, ut faceret naves quæ irent in Tharsis, feceruntque classem in Asiongaber, prophetavit autem Eliezer filius Dodan de Maresa ad Josaphat dicens: Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naves, nec potuerunt ire in Tharsis.* Quibus diligenter inspectis intelligitur, sacram historiam, eandem regionem modo *Ophyr*, modo *Tharsis*, diversa nominũ appellatione nuncupare. Quod ansam præbuit aliquibus (cum persuasum haberent *Tharsis* apud Hebræos *Africam* significare) ad existimandam *Sofalam* insulam (ut diximus) fuisse olim *Ophyram*. Verum divus Hieronymus hunc nobis eripuit errorem. Nam dum quædam loca Esaiæ explicat, hæc infert: *Est autem Ophyr Indiæ locus, in quo aurum optimum nascitur.* Et alibi explicans vim significationis hujus vocabuli, ait, *Tharsis, vel Indiæ regio est, ut vult Josephus, vel certè omne pelagus Tharsis appellatur.* Et in explicatione ultimi capitis Isaiæ, eadem rursus inculcat: *Tharsis lingua Hebræa mare appellatur, & , ut ajunt, Indiæ regio, licet Josephus litera commutata Tharsum putet nuncupari pro Tharsis urbem*

Tharsis D. Hieronymo, vide Geographicum Thesaurum Ortelii. & P. Riber in XII. Prophetas minores.

urbem Ciliciæ. In Jonæ autem commentariis hæc quoque ſubjungit : *Unde imitatus Cain Jonas, & recedens à facie Domini, fugere voluit in Tharſis, quam Joſephus interpretatur Tarſum Ciliciæ civitatem, prima tantum litera commutata. Quantum verò in Paralipomenon libris intelligi datur, quidam locus Indiæ ſic vocatur. Porro Hebræi Tharſis mare dici generaliter autumant, ſecundum illud:* In ſpiritu vehementi confringes naves Tharſis, *id eſt maris. Et in Iſaia.* Ululate naves Tharſis. *Super quo ante annos plurimos, in epiſtola quadam ad Marcellam dixiſſe me memini. Non igitur propheta ad certum fugere cupiebat locum, ſed mare ingrediens quocunque pergere feſtinabat, & hoc magis convenit fugitivo & timido, non locum fugæ otioſæ eligere, ſed primam occaſionem arripere navigandi.* Ipſius verò epiſtolæ ad Marcellum hæc verba ſunt : *Quæris ſi Tharſis lapis Chryſolitus ſit aut Hiacynthus, ut diverſi interpretes volunt, ad cujus coloris ſimilitudinem Dei ſpecies ſcribatur. Quare Jonas propheta Tharſis ire velle dicatur, & Salomon & Joſaphat in Regum libris naves habuerint, quæ de Tharſis ſolita ſint exercere commercia. Ad quod facilis eſt reſponſio, homonymum eſſe vocabulum, quòd & Indiæ regio ita appelletur, & ipſum mare quia cæruleum ſit & ſæpe ſolis*

 radiis

radiis percussum, colorem supradictorum lapidum trahat, & à colore nomen acceperit, licet Josephus τ. pro θ. litera mutata Græcos putet Tarsum appellare pro Tharsis. Hæc divus Hieronymus. Ex quibus liquidò perspicitur persuasissimum fuisse viro sanctissimo & eruditissimo, hanc regionem in India esse positam, eique duo nomina indita, videlicet *Ophyr & Tharsis*, atque in eadem sententia fuisse Josephum, ut ex verbis ipsius à nobis paulò ante recitatis, & ex divo Hieronymo, qui istuc ipsum sensisse Josephum affirmat, ostensum est. Atqui ipse auctorem in illa ætate gravem extitisse neminem existimo, qui hoc verbum *Tharsis*, apud Hebræos *Africam* significare scribat, sed longè alio nomine ac diverso Hebręos *Africam* nuncupare solitos accepimus, quod est *Phut* sive *Phul*. Ait namque divus Hieronymus, dum caput ultimum Isaiæ interpretatur: Phut *autem sive* Phul *Lybie, omnisque Africa usque ad mare Mauritaniæ, in qua fluvius hodie qui* Phut *dicitur, & cuncta circa eum regio,* Phutensis *appellatur.* De quo fluvio sic meminit Josephus: *Instituit & Phut Libyam, Phutos à se vocans provinciales. Est autem & fluvius in Mauritania provincia, qui isto nomine nuncupatur. Unde & plurimos Græcorum historiographorũ inve-*

Phut seu Phul Hebræis Africa dicta.

Lib. I. Antiq. c. 6 (aliis 12)

invenimus hujus fluminis memoriam facientes & ex adiacenti provincia, quæ Phuti *vocatur, ei nomen impositum.* Hæc divus Hieronymus & Josephus. Ejus fluvij quoque mentionem facit Plinius, cum Mauritaniam Tingitaniam describit, cujus hæc verba sunt: *Indigenæ autem tradunt, in ora ab Sala. CL. M. pass. Flumen Asanam, marino haustu sed portu spectabile, mox amnem quem vocant Phut.* Hunc Ptolemæus quoq; *Phthut* nominat in eademq; provincia esse, ejusq; oris situm gradus habere 72302. scribit. Quod flumen *Phut*, nunc corrupto nomine *Fez*, & regio *Phuti* etiam *Regnum Fez* hodie nuncupari, nemini dubium est. Quod & nos, in quibusdam nostris Geographicis Observationibus accuratè disputavimus; & satis credo, diligenter (absit verbo invidia) perquisita & investigata, à nobis sunt hæc ipsa, hujus antiqui nominis vestigia. Sed ne de pluribus agam, ad propositum revertar. Jam illud opinor notum & satis compertum esse, vel illis qui mediocri literatura præditi sunt, Judæos, provincias & regiones, atque maria & insulas, longe aliis nominibus ac nos, solitos esse nuncupare. Nam nomina eorum, quos maximè persuasum habuere, extitisse primos terrarum cultores, ipsis terris indiderunt. Qua-

Lib. 5. cap. 1 Natur. hist.

Hebræi Regiones ferè à primis cultoribus nominant.

propter Africam (ut modò diximus) *Phut* à Chami hujus nominis filio, Æthiopiam verò sub Ægypto, *Chus* à Chuso Phutis fratre. A Mezraimo horum etiam fratre, totam Ægyptum Mezraim appellavere. Quo nomine his temporibus, à Judæis & Arabibus, Ægyptus *Mitzraim* nuncupatur, & urbem *Alcayrum* ejus Provinciæ metropolim, (quam nonnulli falsò *Memphin* arbitrantur) ob linguarum inter se similitudinem, *Mezzaram* vocant. Quemadmodum temporibus etiam Josephi à Judæis vocabatur, ut testatur ipse his verbis: *Servata est etiam Mezreis secundum appellationem prisca memoria. Ægyptum namq; Mezrim & Mezreos omnes vocamus Ægyptios.* Tum Cyprum insulam *Cethim* appellavere, à Cethimo Japheti nepote. Atqui hinc mos apud illos inolevit, ut insulas hoc nomine *Cethim* significarent. Italiam verò *Thubal* nuncupant à nomine Thubalis, quem primò credidere hanc Provinciam coluisse. Nec *mare Rubrum*, vel hoc nomine, vel sinum Arabicum, ut Græci & Latini, sed *mare Carectosum* appellare semper consueverunt. Qua de re, miror si qui sunt, qui apud Hebræos existiment *Tharsis* nomine Africam significari. Nisi fortè auctoritate ducti cujusdam Judæi David Chimhi nuncupati.

Ægyptus.

Memphin malè Alcayrū nominant.

Lib. 1. Ant. Iudaic. c. 6.

Cyprus.

Italia.

cupati. Cui ego aliiſque recentioribus Judęis,nullam tribuendam eſſe auctoritatem exiſtimo, maximè quandò aliter ſentiunt ac divus Hieronymus,&antiqui ac doctiſſimi Judæorum, illi præſertim qui Chriſti præceſſerunt ætatem. In quorum ſunt numero *Philo* & *Joſephus*,ab ipſo Hieronymo & ſapientiſſimi & eruditiſſimi exiſtimati. Nam (ut prætercam quòd à viris longè graviſſimis & in Hebraicis literis exercitatiſſimis acceperim : cum Romæ apud Paulum III. Pontificem Maximum,negocia gererem illuſtriſſimi Principis Henrici Cardinalis ac Portugalliæ Infantis,Judæos hujus ætatis, nullam aut certè perexiguam Hebraicę lingue eruditionem callere,)quę tanta poteſt eſſe hominum quorundam inſcitia,ſeu potius amentia,ut perfidi Judæi, à veraq; Chriſti Optimi Maximi Religione alieniſſimi ; judicium præferant divi Hieronymi eruditioni & auctoritati? Quē divus Auguſtinus *virum doctiſſimum* appellat,*& omnium trium linguarnm peritiſſimum*, Et quem Judæi illius ætatis, rectè de Hebraicis veterem ſacrorum librorũ ſcripturam, in Latinum convertiſſe ingenuè fatebantur. Quapropter non aliter hujuſmodi homines deſipere arbitror,ac ſi veritati vanitatem anteponant. Suſpicamur ipſum

Davidem, & si qui sunt in eadem sententia, cum apud Isaiam, Hieremiam & Ezechielem, Septuaginta interpretes divumq; Hieronymum, hoc vocabulum *Tharsis Carthaginem* aliquando interpretatos esse animadverterent, hinc occasionem fortasse nactos ad hanc opinionem confirmandam, videlicet Tharsis, unde aurum Salomoni afferebatur, *Africam* significare; cumque, ut diximus, finitima *Sofala* regio auri feracissima sit, & in quadam Africæ parte collocata, omninò statuerunt *Sofalam Ophyram* esse *regionem*. Quasi verò in multis Æthiopiæ partibus, ad quas breviore temporis intervallo, è nostro mari in Atlanticum exeuntes navigare potuissent, non magna etiam auri, idq; optimi affluentia sit, summaque ubertas? Ex cujus Æthiopiæ diversis locis, nostri homines, auspiciis Christianissimorum Portugalliæ Regum, singulis quibusque annis, ab ipsis Æthiopibus variarum rerum permutationibus, aurum cōparantes huc deferunt. Quod si divus Hieronymus & LXX. apud commemoratos Prophetas, idque certis duntaxat locis, id vocabulum *Tharsis Carthaginem* significare profitentur, non id propterea, quòd ex sua præcipua, &, ut dicā nativa significatione, urbem Romani imperij æmulam exprimat.

Quî

Quî enim id fieri poterat, cum Salomonis ætate necdum *Carthago*, ut jam demonſtravimus, condita eſſet? Sed cum civitas admodùm opulenta foret, & maximis afflueret auri & argenti divitiis, commercio Hiſpaniæ id temporis omnium metallorum feraciſſimæ adeptis, quibus domi foriſque potentiam & imperium ſuum largiter auxerat, eam nomine *Tharſis* expreſſit divina Scriptura: ſicuti terris novis noſtra memoria repertis uſu veniſſe videmus. Quę ideò quòd à nobis procul verſus occiduas orbis partes receſſerint, & auro plurimùm abundaverint, vulgò jam *Indiæ* nomen invenerint. Qui enim aliter ſtatuunt ij multum à veritatis ratione abeſſe, nec juſta reprehenſione caruiſſe mihi videntur, ſi judicant ſacram Scripturam Salomonis principatu, hoc verbo urbem, quæ id temporis nuſquã eſſet, deſignaſſe. Quoniam verò recentiores Judæi, in ſumma Geographicæ facultatis ignoratione, temporumque inſcitia verſantur, nec exterarum nationum hiſtorias attingunt, quò temporum ordines, varietates, eorumq; congruentiam, diſquirere & dijudicare valeant, quippè cum *Hiſtoria testis ſit temporum, & nuntia vetuſtatis*, ut rectè judicavit quidam, fit, ut variis id genus imbuantur erroribus. M. Tull. 2. de Orat. ad Q. Fratrem.

Quod

Quod accidere nequaquàm potuit in hoc genere *Iosepho* & *Philoni*, in omni disciplinarum doctrina, & rerum multarum cognitione versatis. Hanc Hieronymi & Septuaginta interpretationem, nonnulli fortasse arripientes, existimaverunt aliquando *Carthaginem* fuisse *Ophyram*, parùm attendentes è quonam portu, quove ex sinu classis Salomonis eandem regionē petitura solveret. Sed nec attenderunt apud *Sofalam* insulam, nullum pretiosarum gemmarum genus, nullum argentum, nullos esse pavones. Quæ omnia, ex *Ophyræ* regione præter aurum, etiam afferebantur. Id quod Georgius Agricola animadvertisse visus est, cum *Sofalam Ophyram* esse negavit, in libris quos de *veteribus & novis metallis* composuit. Atquî tantum abest, ut *Tharsis*, Salomonis tempore *Africam* significaverit, ut non defuerit, qui hac tēpestate, libros veteris legis convertit ex Hebraicis, & vocabulum *Tharsis* apud historiam Regum (tertio Regum 9. & 10.) *Indorum mare* interpretatur, non autem *Indiæ* oram, integra remanente historia *Ophyræ* regionis.

Georgius Agricola.

Nunc reliquum est, ut causas explicemus, cur in mentem venerit Sacrę historię eam *Indiæ* regionem *Ophyram* nuncupare.

Quòd

Quòd si ea, quę superius à nobis in hoc genere sunt disputata, diligentius attendamus, facilè reperiemus ut supra diximus, moris esse sacræ Scripturæ, nomina eorum, qui terras primum incolere & habitare cœperunt, ipsis terris imponere. Sed cum hujusmodi nomina, parùm cognita aliis nationibus fuerint, ut ipse similiter Josephus animadvertisse visus est, propter eà quòd eis soli *Judæi* uterentur, evenit, ut ob prædictorum nominum insolentiam, multa sacrorum librorum hujus generis loca, maxime obscurarentur & magnam dubitationem afferrent. Quod si nonnulli Judæorum viri doctissimi, qui aliarum gentium & exterarum nationum literas, historias, & monumenta, variasque artium disciplinas perceperunt, ex quibus extitere *Philon & Josephus* summa cum diligentia, non multi hujusmodi posteris explicata, literis tradidissent, quæ peculiari quadam cognitione indigebant, multò pejus etiam nunc circa locorũ hujusmodi abstrusorum intelligentiam hallucinaremur. Si autem recentiores Judæi, more illorum (quos modo nominavi) clarorum virorum, literis Græcis & Latinis ab ineunte ætate imbuerentur, reliquasque disciplinas attingere in animum inducerent, quò rerum ac temporum

Ioseph. lib. 1 Ant. cap. 6.

Philo & Iosephus.

porum congruentiam intueri & intelligere possent; , non esset sanè quòd in tantis ac tam depravatis opinionum erroribus implicarentur. Nunc, cum præter Hebraicas literas, hasq; sine ulla Grammatices ratione , primoribus labris degustatas verius quàm perceptas, quippe à parentibus veluti tumultuariè traditas, nullum, nec literarum nec disciplinarum genus consequantur, quid aliud quàm labi, falli, & turpiter errare illis futurum putamus ? Quodque caput est, præterquàm quòd cum ipso nutricis lacte errorem sugere incipiunt , non modo ignoratione veræ Religionis imbuuntur, sed variis, tum falsis, tum perversis, & quandoq; ridiculis etiam opinionibus , poëtarumque portentis similibus adhærescunt. Quarum plura quidem genera videre licet, cum apùd multos benè doctos viros, à quibus adversus Judæorum pervicaciam plura sunt subtiliter & acerrimè disputata , tum vel maximè apud Petrum Gallatinum, bonum in primis auctorem, & Hebraicarum literarum satis peritum. Adeò ut pudeat & misereat me infelicis hominum conditionis in tot mentis cæcitatis & animi pravitates immersæ. Josephus igitur hunc locum è tenebris in lucem evocare videtur. Explicans enim in primo libro

Pe. Galatinus

bro

pro Judaicarum Antiquitatum, quendam locum sacrorum librorum, satis docet unde nominis originem *Ophyra* regio traxisse videatur. Quum enim divina historia commemoret, temporibus Phaleg divisam fuisse terram, quamobrem hoc ei nomen inditum, quod *divisionem* significat apud Hebræos, ita, *Natique sunt Heber filij duo, nomen uni Phaleg, eo quod in diebus ejus divisa sit terra: & nomen fratris ejus Jectan. Qui Jectan genuit Almodad, & Saleph, & Asarmoth, Jare, & Adonan, & Uzal, & Decla, & Hebat & Abimael, Saba, & Ophir, & Hevila, & Jobab. Omnes isti filij Jectan. Et facta est habitatio eorum de Messa pergentibus usque Sephar montem Orientalem.* Josephus verò eadem in hunc modum narrat: *Heber autem Jectan genuit & Phaleg. Dictus autem Phaleg, quoniam secundum divisionum habitationum natus est. Phaleg autem* divisionem *Hebræi vocant. Jectan verò, qui filius fuit Heber, habuit filios Helmodat, Saleph, Asarmoth, Jarach, Aduram, Uzal, Decla, Obal, Abimael, Saba,* Ophyr, *Evila, Jobab. Isti à flumine Cophino Indiæ, & posita circa eam Syriæ, loca quædam inhabitant.* Hæc Josephus. De quo flumine qui Indum innuit, frequens mentio fit apud Geographos. Quorum verba subjicienda duximus, ad plenio-

Ophyra unde dict. Iosepho.

Genes. 31.

Lib. i. Antiq. c. 6 (aliis 14)

pleniorem rei cognitionem & intelligentiam. Nam Pomponius hæc profert: *Indus ex monte Parapamiso exortus, & alia quidem flumina admittit, sed clarissima Cophen, Acessinem, Hydaspem.* Plinij verò hujusmodi sunt: *A proximis Indo gentibus montana Capissanæ habent Capissam urbem quam diruit Cyrus, Arachosia cum oppido & flumine ejusdem nominis. Quod quidem Cophen dixere à Semiramide conditum.* Et paulò inferius subjungit: *Flumen Cophes, influunt in eum navigabilia Sadarus, Parospes, Sodinus.* Strabo autem incidens in mentionem Alexandri in Indos expeditionis, de eodem fluvio sic meminit: *Quare iisdem montibus per vias breviores exuperatis, reversus est, habens Indiam à sinistris. Postea rursus in eam rediit ac occidentales ejus fines, & Cophen flumen & Choaspem qui in Cophen immittit.* Et paulò inferius: *Post Cophen itaque Indus fluit. Regionem inter hæc duo flumina mediam habitant Astaceni, Massiana, Nissei, &c.* Et Plinius iterum: *Ultimo fine Cophete fluvio, quæ omnia Ariorum esse aliis placet. Nec non & Nysam urbem plerique Indiæ ascribunt.* Quum igitur decem filiorum Jectani coloniæ, partim in quædam Syriæ loca Indiam penè attingentia, partim, in illum Indiæ tractum quæ Cophe fluvio irrigatur (ut Josephus

Pomp. Mela lib. 3. cap 7.

Lib. 6. nat. hist. cap. 23.

Strabo.

Lib. 6. c. 21. nat. histor.

Josephus narrat) deductæ sint, & unus ex ejus filiis *Ophyr* nuncupatus fuerit, apparet ex hoc nomine, per interiores Indiæ partes pertinente, *Ophyram* regionem esse nominatam, ut rectè existimavit Rabanus Maurus & Nicolaus Lyranus. Quoniam verò Hevilat frater Ophyri, finitima *Ophyræ* regioni loca etiam incoluit, ideò Moses cum Indiam exprimere voluisset, quam inclytus amnis Ganges (*Phison* ab eo appellatus) uberrimis aquis interfluit: Havilat nuncupavit. *Et fluvius (inquit) egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita, nomen uni Phison, ipse est qui circuit omnem terram Hevilat, ubi nascitur aurum. Et aurum terræ illius optimum est.* Quam regionem Hevilat Josephus *Indiam* interpretatur. Cujus hæc sunt verba: *Rigatur autem hic hortus ab uno flumine circa omnem terram undiquè profluente. Hic in quatuor dividitur partes, & uni quidem nomen est Phison, quod inundationem significat: eductus in Indiam pelago diffunditur: qui Getha nuncupatur à Græcis.* Sed ne quis arbitretur hanc esse *Hevilat*, quam alio in loco idem Josephus dicit esse *Getuliam* Africæ provinciam, ab Hevila Chusi filio nominatam, opus est ut duos fuisse ejusdem nominis intelligatur; hunc

Phison amnis est Ganges Indiæ flu.

lib. 1. Antiqu. c. 1.

lib. 1. Antiquit. c. 6. (aliis 12.)

quem modo nominavi, alterum Iectani filium Ophyrique fratrem, de quo nunc agimus. Quam dubitationem funditus sustulit Josephus, cum significavit fluvium *Phisonem* apud Indiam in pelagus defluere. Et Indiam provinciam à Mose *Hevilat* esse nuncupatam, preterquàm quòd ex ipsius verbis paulo antè recitatis liquidò dignoscitur, tum etiam ex Commentariis divi Hieronymi *de locis Hebraicis*, quibus sic ait. *Hevilat ubi aurum purissimum, quod Hebraicè dicitur Zahab, & gemmæ prætiosissimæ, carbunculus, smaragdusque nascuntur. Est autem regio ad Orientem vergens, quam circuit de Paradiso Phison egrediens. Quem nostri mutato nomine Gangem vocant, Sed & unus de minoribus Noe Hevilat dictus est, quem Josephus refert cum fratribus suis à flumine Cophone & regione Indiæ usque ad eum locum, qui appellatur Ieriæ, possedisse.* Et ulò post subjungit: *Messe regio Indiæ, i.. qua habitarunt filij Heber. Sophera vero mons Orientalis in India: juxta quem etiam prædicti habitaverunt, quos Iosephus refert à Copheno flumine & Indiæ regionibus usque ad eum locum perveniße, ubi appellatur regio Ieria. Sed & Classis Salomonis per triennium hinc quædam commercia deportabat.* Hæc ille. Intelleximus divi Hieronymi sententiam,

Hevilas Moysi est India.

tiam, etiam Rabani Mauri cognoſcamus. ait enim: *Hevilat regio eſt Indiæ quæ poſt diluvium poßeßa ab Hevilat, filio Iectan filij Heber patriarchæ Hebræorum.* In quorum ſententiam diſcedit Hieronymus ab Oleaſtro, ampliſſimus Theologus in doctiſſimis Commentariis, quos proximis annis edidit, in quinque libros Moyſi, cujus etiam verba transſcribere viſum eſt, quæ hujuſmodi ſunt: *Alia eſt Chavilah, denominata à Chavilah filio Iectan filij Heber. Quæ quidem Chavilah etiam Orientalis eſt, quia ibidem dicitur fuiſſe habitatio filiorum Heber, à Meſah uſque ad Sephar montem Orientis, quæ etiam auro abundat, cum ſit propè Ophir. Nam Ophir, fuit frater Chavilah, ut ibidem dicitur.* Hæc ille. Ex quibus omnibus intelleximus Judæorum peculiares, regionum, fluminum, inſularum, & maris appellationes, à Græcis & Latinis, ab aliiſque aliarum nationum longe diverſas, eaſque à primis terrarum habitatoribus eſſe deductas. Tum etiam perspeximus *Ophyrum & Hevilam* fratres, ut Joſephus, ut divus Hironymus, ut alii quoq; viri doctiſſimi (quorum modò mentio facta eſt) profitentur, Indiæ quaſdam partes incoluiſſe, quas divina hiſtoria ex more ſuo, eiſdem duorum fratrum nomi-

nibus, Ophyram & Hevilam appellat. Quarum alteram Moses scribit aurum optimum gemmasque pretiosissimas producere: ex altera vero ingentem auri copiam Salomoni delatam, Judæorum regum monumenta testantur, hasque finitimas esse, & (ut paulò antè dixit divus Hieronymus) ex quarum altera classis Salomonis per triennium quædam commercia deportabat. Prætereà Africam, consentientibus doctorum virorum testimoniis, apud Hebræos *Phut*, non *Tharsis* esse appellatam; & *Ophiram* apud Indos esse etiam percepimus. Quid ergo amplius pertinaciter inhæremus, inanissimis Judæorum recentiorum opinionibus & deliramentis eorumque lutulentos rivulos consectamur, ex limpidissimis autem doctissimorum atque Orthodoxorum Patrum fontibus, haurire negligimus? Nec me movent novæ Augustini Eugubini in hunc locum interpretationes, nova nescio quæ flumina comminiscentis, (quanquam aliâs hominis eruditionem & doctrinam suspicio & veneror, & quanquam cum illo mihi arctissima Romæ consuetudo intercessit, magis tamen amica veritas.) Quæquidem parum momenti (si rectè quis rem perpendere voluerit) habere videntur, & quas non ma-

3. Reg. 9. & 10.

gr

gni fuerit negocij convincere. Nec me movent vel ſexcenti recentiores Judæi novis & deliris ſemper interpretationibus ſtudentes, & nova ſenſa ab antiquis Orthodoxorum Patrum ſententiis, longe abhorrentia, in divinos libros architectantes. Quorum Judæorum libri, integra mente & acri attentoque animo evoluantur oportet. Nam hinc, ut arbitror, jam ô proceſſit hæreticorum quorundam hominum audacia, ut aſſerere nihil vereantur, ætate divi Hieronymi non admodum viguiſſe, ſeu potius elanguiſſe Hebraicarum literarum ſcientiam. Qui nihil aliud mihi viſi ſunt dicere, quum hæc dicunt, quàm divum Hieronymum ſummis labris has literas attigiſſe. Quem (ut ſupra di:) divus Auguſtinus *peritiſſimum in hoc genere*, cum ſumma teſtificatione laudum ipſius fuiſſe dicit. Et quem doctiſſimi Iudæorum ejus temporis profitebantur, ſacros libros veteris legis, ſummo animi judicio & ſynceriſſima interpretatione convertiſ. Sed proh Deum immortalem, quid hoc eſt ſi mera inſania non eſt? Adeòne ille homines imperitos quibus tanta ſit insita vecordia, ut antiquos illos Eccleſiæ Patres, (divino ſpiritu ſine controverſia afflatos, atque ad exprimenda vera divi-

Rabini cautè legendi.

D. Hiero. peritia linguæ ſanctæ.

norum librorum ſenſa,à Deo Optimo Maximo nobis velut dono datos) dicere audeant hallucinatos eſſe in enodandis quibuſdam Prophetarum intelligentiis, nec præcipua & germana illa ſenſa,quæ in illis locis ipſi præ ſe tulerunt Prophetæ attigiſſe. Quibus Prophetarum locis, ad Chriſtianum dogma maximè confirmandum appoſitis, & eodem ſenſu enodatis, poſteris temporibus Eccleſia pro acerrimo telo uſa ſit, ad infringendam multorum hæreticorum pervicaciam? Quid dici poteſt inſanius? aut quid iſti omnium hominum ſuperbiſſimi aliud perſuadere videntur, quàm ea ſe (ſi diis placet) aſſecutos eſſe, quæ magni & ſapientes illi viri ne deguſtarunt quidem?

Epilogus. Verùm hæc nos in aliud tempus, in aliumque locum differamus, ad propoſitumque revertamur. Perſpectis tot, tantorumque Patrum teſtimoniis & auctoritatibus, nemini opinor, jam dubium & controverſum erit, *Ophyram* regionem apud Indiam eſſe, ab *Ophyro*que Iectani filio denominatam & *Tharſis* vocabulum eſſe homonymum, ut aſſerit Divus Hieronymus ad Marcellam, propterea quod & *mare & locum Indiæ* ſignificet. Hanc igitur rationem habet Divi Hieronymi, Flavii Ioſephi, aliorum-

liorumque ſententia, circa regionem *Ophyram*, quam apud Indos eſſe, ut diximus, ſtatuunt.

Nunc excutienda ſunt quæ literis mandavit nobiliſſimus & clariſſ. Theologus Cardinalis Cajetanus, non de *Ophyra* regione, quam prorſus ignorare ſe ingenuè fatetur, ſed de curſu quem, claſſis Regis Hiræ teneret, cum ad claſſi ſe conjungendum Salomonis, ſolveret è portu, ut una peterent eandem regionem. *De nominibus (inquit) propriis, quæ hic ſcribuntur, reddere certam rationem neſcio, hoc tamen certum eſt, quod Salomonis tum ſcientiæ tum providentiæ atteſtatur conſtructio & miſſio navis in Ophir pro auro.* Et in ſecundo Paralipomenon capite octavo iſthæc dicit: *Salomon ſiquidem fecit propriam claſſem in illo mari. Rex autem Tyri miſit naves ſuas ad ſerviendum Salomoni, ſimul cum propriis navibus Salomonis. (Et juerunt cum ſervis Salomonis in Ophir) Regio Indiæ dicitur. Reliqua vide expoſita tertio Regum nono: advertendo duo. Alterum, quod quia navigatio in Ophir per mare Oceanum erat, ideo Salomon ad evitandam navigationem per mare Mediterraneum uſque ad Oceanum, perrexit ad oram maris Rubri, (quod eſt quidam ſinus maris Oceani) & ibi conſtruxit claſſem, ad hoc enim il-* Thomæ Cajetani opinio.

luc fuit. Alterum, quod rex Tyri naves quas misit, non nisi per Mediterraneum mare mittere ex Tyro potuit, ad conjungendum illas cum navibus Salomonis. Hæc ille. Quam rem recte quidem judicavit vir doctissimus. Quis enim non in ejusmodi causa? Nam qui fieri posset, ut naves è Tyro solventes aliter in sinum Atlanticum pergerent, quàm per fretum Herculeum in Oceanum Atlanticum exeuntes, totamque oram Africæ & Æthiopiæ permeantes, magnum illud *Bonam Spem* promontorium transgrederentur, atque inde recto cursu aliud Arabiæ promontorium, olim *Aromatam*, nunc autam *Guardafum* nominatum petentes, tandem angustias Rubri maris ingrederentur? Sed præterquàm quod hæc navigatio tunc temporis omnino incognita erat (ut sæpe jam diximus) multo facilius à rege Tyri id perfici poterat, & minore, cum temporis tum rei familiaris suæ dispendio, & tandem expeditiore via, si materia dolata, ex qua naves ædificari solent, camelis & aliis jumentis, superato isthmo inter illa duo maria interjecto, *Asiongaberum* deportaretur, (sicut olim fieri consuetum est à Sultanis Ægypti, nunc autem à Turcarum Regibus, quandocunque classes, quas illic habent,

bent, reficere, ſeu novas ædificare uſus eſt,) quàm tantam maris vaſtitatem tranſmittere, ut cum Salomonis claſſe conjungeretur. Sed ea perſuaſio fortè literatiſſimum virum fefellit putantem, regis Hiræ claſſem è Tyro (ad oram noſtri maris poſita) in Indiam ſolitam navigare. Cum enim legeret hæc verba ſacræ hiſtoriæ; *Tunc abiit Salomon in Aſiongaber & in Ailaeh, ad oram maris Rubri, quæ eſt in terra Edom. Miſit ergo ei Hiram per manus ſervorum ſuorum naves & nautas gnaros maris, & abierunt, &c.* 2. Paralip. 8. 17. Fortè non videbatur illi, cum Salomon ageret apud maritima loca maris Rubri ſuperius memorata, rectè ſignificaſſe divinam hiſtoriam, Regem Hiram ad illum miſiſſe naves & nautas ſuos, ſi in eodem quoque mari id temporis eſſet Hiræ regis claſſis. Quare rem parum videtur perpendiſſe tanti nominis Theologus. Nam quæ apud Alexandriam in noſtro mari ſunt naves, quis vetat quin Carthaginem mittantur, atque hinc Uticam ſeu Hipponem Regium, quæ oppida in locis maritimis ejuſdem maris ſunt poſita? Cum Carolus quintus Romanorum imperator Tunetum oppidum obſidet, naves quæ à Neapoli cum commeatibus, reliquiſque id genus bellici apparatus, eò

 mit-

mittuntur, nonne ad portus ejusdem maris mittuntur? quis hoc audeat inficiari? Verum hæc tot verbis persequi non est necesse, cum sint in promptu. Porro quæ ad oppidorum *Ailanæ & Asiongaberi* cognitionem, & notitiam pertinent, eis, quoniam in quibusdam nostris Geographicis Observationibus mox in lucem prodituris, à nobis sunt multis verbis disputata, in præsentia supersedendum duximus. Sed hæc in mentem mihi venerunt, de *Ophyra regione* quæ dicerem.

BART.

BART. KECKERMANNI

PROBLEMATA NAUTICA.

IN urbe maritima Dantiſcanâ, ad quam nondũ integri menſis ſpatio tanta vis navium appulit, animus eſt *de re nautica*, hoc tempore breviſſime commentari, dum & ipſi tandem vela ventis dare, atq; ex præcognitorum Philoſophicorum ſtatione in ipſum Philoſophiæ altum ſolvere poſſimus.

Partiemur autem ita Commentationem hanc, ut primo generaliter, poſt ſpecialiter de re propoſita agamus.

In genere nobis tractandæ quæſtiones fuerint, de cauſis rei Nauticæ efficientibus & finalibus ſive de navibus, & navigationis inventoribus.

I. Hebreæne potius genti, alterine cuidam gloriam inventæ navigationis & navium tribuere debeamus?

REſp. Hebreæ genti gloriam iſtam deberi, præ *Tyriis, Ægyptiis, Græcis*. Etenim

nim autoritate primi libri Mosis constat ex jussu & præscripto Dei *Noham* ad suam suorumque vitam à diluvio servandam extruxisse navim, quæ à commoditate habitandi, & securitate servandi arca appellatur. Scribit de ea re Josephus. 1. Antiq. Judaic. cur Deus sanctissimo viro Noacho præ aliis hominibus artem condendi & usurpandi navim revelare voluerit. Et Euseb. lib. 10. præparat. Euangel. de Noacho *inquit*, *quod cum is diu ante Neptunum & Danaum fuerit, gloria inventa navigationis Græcis immerito tribuatur.* Quia autem navis Noachi post diluvium in montibus Armeniæ constitit, exemplum & Idæam struendarum navium, inde vicinæ gentes hauserunt, inprimis vero *Phœnices* gens vicina mari & dedita navigationibus. *Tyrii*. n. teste Strabone lib. 16. navigandi arte præ aliis excelluerunt. A Phœnicibus hæc ars propagata est ad *Ægyptios* teste Plinio lib. 3. cap. 56. *Inventis* (inquit) *ratibus in mari rubro, inter Insulas ab Erythra rege navigari cœptum est.* Ab Ægyptiis peruenit ad Græcos, quod & Plinius cit. loco *diffiteri non potest* : inquiens: *Nave primus ex Ægypto Danaus advenit, ante enim ratibus non navigabatur.* Strabo lib. 10. *Minoi* hoc tribuit, quod impe-

imperium maris, tenens, artem navigandi invenerit. Diod. Sicul. lib. 6. *Neptuno* hoc afcribit, qui poftea ob tam præclarum inventum in numerum Deorum eft relatus. Illud certum eft, *Cretenfes* inter omnes Græcos, navigandi principium initio tenuiffe; unde & Proverbium eft: *Cretenfis nefcit pelagus?* id eft, nihil eft abfurdius, quam Cretenfem effe & non navigaffe, perinde ac fi quis diceret, *Hollandus nefcit navigare*. A Græcis navigandi peritia per varias gentes difperfa eft, inprimis tamen ad Italos & inter hos ad *Genuates* & *Venetos* derivata. Veneti quidem ufque adeo navigandi artem exercuerunt, ut hoc potiffimum medio ad ftupendæ potentiæ faftigium afcenderint, quod teftatur celeberrimus Hiftoricus Sabel. lib. 3. decad. 4. *Nullum eft* (inquit) *Emporium interni maris, quod à Gaditano freto, inter Africam, Europam, Syriam, & Ægyptum ad ortum excurrit, & ad feptentrionem, ad Bofphorum, & Mœotidem paludem, nulli tam ignoti littoris receßus, quem Venetæ triremes, ex antiquo civitatis inftituto, non negotiorum caufa frequentent.* Ab Italis Navigandi induftria manavit ad *Lufitanos* feu Portugalenfes qui à *Columbo Genuenfi* nauta inftructi & exculti, ufque

que adeo ante annos centum in hac arte excelluerunt, ut & *Novum orbem* aperuerint, & mercimoniis viam paraverint ad *Indias Orientales*. Cum Lusitanos nomino, non excludo *Hispanos*. Sed hoc tamen certum est, omnibus hodie gentibus navigandi industria & peritia superiores esse *Anglos*, post Anglos, *Belgas* & inter hos Flandros, Hollandos, Zelandos.

II. An Navigationis sit necessarius in vita humana usus?

DE Inuentione & successione peritiæ Nauticæ præcedenti problemate egimus, Consequens est,ut de ejusdem fine ac usu dicamus. Ad vitam igitur humanam, alia conducunt, tanquam necessaria, sine quibus plane vivere non possimus, quædam vero tanquam utilia sine quibus vivere commode nequeamus. Navigatio conducit ad utrumque primò ad *vitæ necessitatem*. si non in omnibus locis, at certe in iis, quæ sterilitate frumenti & vini ita laborant, ut cum ultra mare sita sint, necessarius commeatus terra advehi nequeat. Ad *commoditatem* autem vitæ quantopere conducat navigatio, paulo post demon-

monstrabitur. Nunc id nobis dicendum est, maximam illam & vastissimam orbis terrarum partem sive collectionem aquarum, quæ mare dicitur à Deo conditam esse, non solum ut sit locus nativus piscium, nec ideo tantum ne terra, vel sua nativa siccitate vel solis ardoribus infœcūda redderetur, sed hunc etiam ob finem, ut genus humanum haberet brevem ac facilem mutuæ inter se mercaturæ, ac communicandarum mercium occasionem & viam. Id quod diserte *Sacræ Scripturæ* testimoniis probatur quæ videri possunt. Psal. 104. v. 25. 26. Esai. 23. v. 1. 2. Et potest idem probari exemplo sapientissimi regis *Salomonis*, de cujus classe & navigationibus narrat. 1. liber Reg. cap. 9. v. 26. Hinc nimirum illa tam magnifica maris Encomia Psal. 107. vers. 24. ubi illud describitur, tanquam pulcerrimum & maximum miraculorum *Dei theatrum*, ita ut ex eo loco clarissimi interpretes statuant *mare, ipsa terra esse illustrius & excellentius, in* qua sententia est etiam Lamb. Danæus tract. 3. Phys. Christ. cap. 7. Quamvis de eo non sine ratione dubitari potest, cum plurima sint argumenta, quibus terræ dignitas major quàm maris possit demonstrari, de qua re suo loco major erit dicendi occasio. Valet

et interim memorabile illud maris Encomium, quod extat apud Ambros. in opere de creatione. 6. dierum: *Bonum mare tanquam hospitium fluviorum, invectio commeatuum, quo sibi distantes populi copulantur, quo præliorum removentur pericula, subsidium in necessitatibus, refugium in periculis, gratia in voluptatibus, separatorum conjunctio, itineris compendium, transfugium laborantium, subsidium vectigalium, sterilitatis alimentum.* Desumpsit hoc Encomium maris Ambros. ex Basilio homil. 4. Hexameri, & habet similia *Theodoretus* Serm. 2. de Provid: nec non *Greg. Nazianz.* 2. De Theologia & Theologo. *Plutar.* in libello cui titulus est: *Utrum aqua an ignis utilior.* Et *Cic.* 2. de Nat. Deorum. Quæ loca autorum ideo allego, quia pleraque Encomia maris, sunt etiam Encomia navigationis. Sed specialius nobis fuerit deducendus navigationis finis atque usus, qui est vel *principalis* vel *minus principali.* Principalis est ad mercaturam & negotiationes, quas mari quam terrâ commodius fieri, probatur. 1. Quia major copia mercium navi quam curru advehi potest. 2. Quia major varietas mercium, ex variis & diversis locis, ad quæ curru non venitur, adfertur. 3. Terrâ & curru non ita celeriter & expedite,

pedite; quam navibus merces apportantur; præsertim à locis longe dissitis, cum quibus si commercia exercere velis itinere terrestri, tanto opus fuerit sumptu, ut expensæ lucrum multis modis sint superaturæ. Atqui dicet aliquis: *Mercatura res illaudata est. Ergo inde navigationem laudare non poteris.* Resp. Falsum est Antecedens. Est enim mercatura in se spectata res humano generi & utilissima & per consequens commendatissima, quod probatur his argumentis. *Instrumenta virtutis publicæ & privatæ sunt laudatissima. Mercatura est instrumentum virtutis publicæ & privatæ;* quod probatur; quia conducit ad servandum, augendum, & ornandum statum Reipub. Status autem Reip. est ordo laudatus, Laudatus autem ordo virtus publica est: conservari autem Reipub. status nequit sine legittima administratione: legittima administratio requirit conservationem Ecclesiæ, Scholarum, itemque dignitatis Senatoriæ, denique distributionem præmiorum & pœnarum, atque adeo bella etiam quæ necessariò pro Repub. suscipiuntur. Harum autem rerum omnium nervus est pecunia, mater mercaturæ. Ad augendam etiam Rempub. mercatura mirifice conducit, sive spectes ipsam

urbis amplificationem, & ædium culturam seu multitudinem, incolarum copiam, quæ utraque sine mercatura obtineri nequit. Exemplo sunt tot vrbes, quæ desertæ ac solitariæ hodie jacent, propter translatam mercaturam, ut *Antuerpia*, *Vismaria*. Ornantur etiam Resp. per mercaturam. 1. Splendore Senatus & ejus autoritate. 2. Civium opibus & munditie. 3. Ædium, palatiorum, hortorum cultura. Privata virtus per mercaturam exercetur, quia cives quo sunt ditiores, eo pomptiores ad promovendam publicam utilitatẽ, ad procurandas in bello & pace Reipub. necessitates, ad honeste decoreque educandos liberos, ad exercendam denique erga Ecclesiam, Scholas & pauperes liberalitatem. Alterum pro mercatura argumentum est; quod adducit Arist. lib. 1. Polit cap. 5. ubi sic disputat *mercaturam facere ad humanæ vitæ necessitatem & denique indigentiam humanam*. Idcircò meritò Plato de Repub. inquit: *sine commerciis vix potest subsistere civitas*. Et memorabile est quod celeberrimus superiorum temporum Historicus *Brutus*. 8. Florent. hist. de *Laurentio Medices*, principe florentissimo refert; qui dixit: *Mercaturam esse caput, unde robur & nervi manant in Rempub.*

Sed

Sed tamen non desunt, qui contra mercaturam argumentis ejusmodi; disputent, quorum solutio hoc loco nobis neutiquam intermittenda fuerit. 1. ex Aristot. 1. Polit. c. 5. *Quod non est naturale acquirendarum possessionum medium, illud non est legittimum. Mercatura non est talis.* Ergo. Resp. ex ipso textu Arist. etsi mercatura non sit naturalis, quoad causam efficientem & principium, esse tamen naturalem, quoad *causam finalem* quia supplet defectum & indigentiam naturæ. 2. *Mercator propositum habet lucrum, atque adeo videtur avaritiæ mancipium*, sicut inquit Erasm. in Adagiis. *Negotiatorum genus nihil habet sacrum præter unicum pecuniæ lucrum, cui se totos ceu Deo consecrarunt: Hoc pietatem, hoc amicitiam, hoc famam, hoc divina pariter ac humana metiuntur, reliqua illis nugæ.* Resp. Nō omnes mercatores esse tales, nec vitia quorundam artificum esse imputanda arti, utpote cum vitia artificũ, arti sint plane accidentaria, & non pertinent ad ejus naturam, sed sunt præter naturam. Similis responsio datur ad dictum illud *Apollonij*, quod citat *Philostratus* in ejus vita: *Mercaturam esse virtutis inimicam*, per accidens, hoc est, & non de natura sed præter naturam mercaturæ, siquidem ut

ſupra oſtendimus, *mercatura eſt adminiſtra publicæ & privatæ virtutis*. Et *Caſſiodorus* in Epiſt. inquit. *Honeſtum eſt lucrum per quod nemo læditur*, unde ſequitur, honeſtam eſſe mercaturam, per quam nemo læditur. 3. *Mercatores non admittuntur ad dignitates publicas*. Ergo *eſt inhoneſta*: Antecedens probatur ex *Livio* qui inquit: *Quæſtus omnibus Patribus indecorus viſus eſt*. Et refert Ariſt. 2. Pol. 1. *Thebanis civibus non aliter licuiſſe Magiſtratum vel petere, vel oblatum accipere, quam ſi totos decem annos à mercatura abſtinuiſſent*. Ac *legibus Imperialibus* ordini mercatorum aditus ad imperia & honores præcluſi ſunt, & nobilium ordini æque eſt interdicta negotiatio, ut mercatoribus militia. Reſp. non propterea interdici magnatibus & nobilibus mercaturam, quod honeſta ſit per ſe, ſed ut ii qui Rempub. adminiſtrant, ab omnibus aliis negotiis vacui, Rempub. tanto rectius poſſint adminiſtrare, atque adeo ut *curia ſit curæ Magiſtratui non forum, aut lucrum*. Nobilibus vero ideo *leges Romanas* negotiationes interdicere, ut ſit diſcrimen inter urbes & nobiles, atque cives ſuas habeant immunitates & commoditates, quas iis præriperent nobiles, ſi eis mercari liceret. Quamvis hodie in *Italia* & *Anglia* etiam nobi-

nobiles mercaturam exerceant, imo principes, & Comites. Et sane quod ad Romanos attinet satis apparet ex *Cic.* quod illa lex de interdicta *Patribus & Equitibus Rom.* mercatura, jam ipsius tempore fuerit mortua, quod idem allegat *Bodin.* 3. De Repub. cap. 8. *ita ut posteriores Icti, mercaturam rerum omnium affluentiam copiosam, nihil natalium splendori, nil ordini, nil nobilitati derogare pronuntiaverint.* Quare idem *Bodin.* cit. cap. & lib. recte concludit, *mercaturam civitatibus non modo esse utilem sed & honestam, nec solum honestam, sed & honestam, nec solum honestam, sed & necessariam. Quid enim* (inquit) *solo tam sterili cōdita civitas ut Athenæ olim & nunc Noriberga, aut eo in loco posita, ut in eam nō modo frumenti, sed nec vini quicquam importari possit, sine mercatura præstiterit?* Et memorabile est quod *Jovianus Pontan.* c. 45. de liberalitate refert, *quosdam Neapolitanorum reges subditis suis eripuisse mercaturæ facultatem, sed ita ut provinciales suos ad magnam inopiam redegerint, & regnum suum mirifice deformarint, donec mercaturam publice iterum permitterent.* De *Solone* refert Plutar. in ejus vita; *quod cum pater ipsius facultates suas largitionibus attrivißet, & interim magnifice educatus Solon, accipere aliquid erubesce-*

 ret,

ret, contulerit ſeſe adoleſcens ad mercaturam, eamque ad opes acquirendas feliciter exercuerit. Poſtea cum populum regeret Solon, voluit mercaturam ſuo tempore in magna dignatione apud omnes eſſe, ut refert *Cæl.*lib. 16. cap. 8. Hinc factum, quod reges & principes magna privilegia indulſerint mercatoribus, ſicut inprimis eſt memorabile privilegium illud, quod anno 1288. *Henricus III. Angliæ rex, civitatibus Hanſiaticis* in ſuo regno dedit, de quo *Polyd. Virgil.* libro 16. Anglic. Hiſtor. Sequitur ut de altero fine navium & navigationis breviter agamus: qui quidem magnus eſt, ſed non ita principalis, ut prior, & ſpectat *res bellicas*. Marina autem bella terreſtribus ideo præferenda ſunt. 1. Quia in illis nulla devaſtatio agrorum, pagorum, vrbium. 2. Quia minor licentia prædandi & libidines exercendi datur militibus mari quã terra, atque adeo ſanctior eſt diſciplina bellica marina, quam terreſtris. 3. quia minori apparatu armorum & equorum, marina quam terreſtria bella conficiuntur. Quantus autem ſit uſus navium ad bella marina, atque adeo ad defendendam patriam & arcendos hoſtes, *Themiſtocles* intellexit. *Cum enim magna vis pecuniæ è proventu metallorum eſſet in æra-*

rio

rio Atheniensium æque dividenda, viritim in singulos puberes ciues drachmis: Themistocles suasit, ut ex ea pecunia classem ducentarum navium ad Ægyneticum bellum compararent. Incidit in ea tempora Xerxis expeditio contra Græcos. Itaq; Athenienses Ægynetis reconciltati, contra communem hostem ea classe felicissimè sunt usi ad Salaminam, & Themistocles eodem consilio quo naves paravit, patriam servavit, utpote quæ tuta esse non posset, nisi in muris ligneis, id est, navibus. De qua re *Herod.* lib. 7. *Cum de Siciliæ possessione bellum Punicum primum, inter Romanos & Carthaginenses ortum esset, Carthaginenses mari præstarent, Romani de bello feliciter gerendo desperantes, nisi hostibus mari obviam ire possent de classe publice paranda decretum tulerunt, quæ naves.* 120. *contineret, quarum centum quintuplici ordine agerentur, terno reliquæ. Rom. pop. tum nauticæ rei ignarus, intrepide pelagus tractare ausus est, & prius cum hoste navali bello certavit, quam ullum fecisset maritimæ rei periculum. Nam cum in Sicilia primo Romani transfretarunt, Tarentinorum & aliorum sociorum fuerant usi navibus, cum ipsi eo tempore ne lembum quidem unum publice possiderent. Erant per id tempus circa fretum pleræque Carthaginensium naves, ex quibus quinqueremis una se-*

milacera ad Romanos devenit. hoc unicum illis exemplum fuit ad naves ædificandas. Dum autem ad hoc exemplar naves magno studio struuntur, multitudo ingens ad remigium exercebatur, subselliis in arena dispositis futuri remiges insidentes ad nutum & vocem unius stantis, qui ordine medio versabatur, remorum pulsum accommodabant, intendentes remos una, atque inhibentes. Sabell. 9. Enneade. 4. Et memorabile est quod *Front.* lib. 1. cap. 7. refert de C*æcilio Metello*, *qui cum usus navium, quibus Elephantes ad bellum transportantur, deficeret, junxit dolia constravitque tabulamentis, ac super ea positos Elephantos, per Siculum fretum transmisit.* Cum *Pub. Cornel. Scipio.* consul creatus esset, eique senatus permitteret, ut si ex usu Reip. videretur, cum omni exercitu in Africam trajiceret, quadragesimo quinto die, quod vix cuiquam credibile videtur, instructa & parata classe ex Italia in Siciliam contendit. Posterioribus vero temporibus quam ingens navium usus ad res bellicas fuerit, testatur *Historia Veneta*, ex qua perspicimus Venetos tam amplum, quod habent imperium, & tam multas maris mediterranei insulas, vi & ope navium potissimum acquisivisse ut testatur *Sabell.* lib. 8. Dec. 1. quod de Lusitanis & Anglis quoque statuendum

tuendum eſt, ita ut recte Ariſt. judicarit. 7. Polit. *Vrbibus ac regnis expedire, ut promptam expeditamque habeant navigationis commoditatem, ſi libera eſſe velint*. Noſtra certe patria, unius navis velocitate & vi, libertatem ſuam videtur aſſeruiſſe, cum in *bello Stephanico* Viſtula ponte ſtrato, occupari, & propugnàculum maritimum ab hoſte teneri maximo dolore conſpiceretur, ut merito *Leo Albert*. 5. cap. 12. rei ædificatoriæ, *navem vocet arcem obambulandi*, addens, *primarius uſus navium eſt, ut te tuaque transvehant, proximus, ut bello ſubminiſtrent opem*. Hinc etiam factum eſt quod *Honorius & Theodoſius*. Impp. ſupplicium capitale ſtatuerint in eos, qui conficiendi naves, incognitam ante barbaris peritiam tradiderint, propter ingentem nimirum in bello navium uſum.

III. Sitne Navigatio res temeraria & ab humana natura aliena? Vbi ſimul per occaſionem diſputatur, an iter navale præſtet terreſtri?

DIgnum ſane problema opinor quod accuratius pertractetur, propter autoritatem

toritatem garvissimorum autorum veterum & recentium, qui magno consensu navigationem impugnant & abominantur, tanquam temerariam, audacem, & periculi certissimi plenissimam. *Anacharsis* enim *cuidam interroganti, utrum plures sint mortui an vivi, Navigantes* (inquit) *in utro numero ponis, dubitans an hi eßent inter vivos habendi, qui vitam undarum & ventorum arbitrio commisissent teste Laer.* lib. 1. c. 6. Quod idem & *Bias* unus ex septem sapientibus dixerat, *Navigantes nec inter vivos nec inter mortuos esse numerandos.* Et idem Anacharsis interrogatus, *quæ naves essent tutissimæ? quæ in siccum inquit pertractæ sunt.* Callimachus dixit, *Iucundissimum esse mare sed si quis de terra illud contempletur.* Et Plautus salse dixit, *Negotii qui volet sibi vim comparare, navim & mulierem hæc duo comparato.* De Catone scribitur, quod dixerit: *ejus se pœnitentia inter alia duci, quod quo terra pervenire potuißet, navi juerit.* Plin. in procem. lib. 19. navigationem vocat *summam audaciam & injuriam humanæ naturæ, quo pervenire nulla execratio sufficiat; contra inventorem, cui non fuerat satis hominem in terra mori, nisi & insepultus periret.* Sunt & alia apud *Tibull.* & *Propert.* testimonia, quæ de industria omitto. Antipater

ter *Tharsensis* cum ex hac vita migraturus esset, fortunæ maximas gratias egit quod cum se aliquando mari credidisset, optima usus esset navigatione. Et observatu dignum est proverbium: *Siculus mare*, id est, prospectat. de iis usurpatum, qui denuo sollicitantur ad subeundum periculum. Sed & recentes autores quidam, navigationem ut rem temerariam damnare videntur inter quos *Polyd. Verg.* lib. 3 de invent. rerum c. 15. *Quis non fatetur* (inquit) *humanum genus, merito summæ insaniæ audaciæque coargui, cum sese intra suos fines minime sciat tutum continere? Nā quamvis Deus ei optime consulerit, sua tamen sponte in pericula ruit. Ille etiam nobis terrarum velut solidum, & ad nos sustentandos idoneum elementum dedit, nos cœlum atque mare tentamus.* Et nota est vulgata admonitio: *qui nescit orare, discat navigare.* Et refert *Philip. Melanch. Granvelanum*, præcipuum *Caroli V.* Imperatoris consiliarium, cum ex Africa cum Imperatore rediisset, sic dixisse: *O malum, malum hospitium mare.* Hisce omnibus testimoniis veteribus & recentibus hæc argumenti vis inest. *Res periculosissima temerariè suscipitur. Navigatio est talis.* Ergo. Resp. *Majorem* non esse simpliciter veram. Est enim periculum duplex:

plex: unum *temeritatis* & audaciæ, alterũ *vocationis* & officii. Major tantum de priori periculorum genere vera eſt, de quo & Scriptura dicit: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Nam ſi generaliter de omnibus periculis vera foret major, etiam bella legittime ſuſcepta damnanda forent, utpote in quibus non minus eſt periculi, quam in navigatione: damnanda etiam foret veritatis aperta profeſſio, quæ in multis locis cum præſentiſſimo periculo inſtituitur. Idcirco Pſal. 96. periculum quidem navigantium indicat, ſed ita tamen, ut indicet licere ejuſmodi pericula ſubire quod etiam docet cap. 14. Sapient. ubi finis navium ſimul & navigationis ſic deſcribitur, ut ſimul admonitio addatur, divina providentia gubernari illud fragile lignum: & Ezech. 37. magnis laudibus effert & prædicat beneficium navigationis, mercimoniorum, & commodi portus, quod Deus *Tyriis* conceſſerat. Non poteſt autem hoc eſſe temerarium & inſanum, quod S.S. laudat. Sed ad *Minorem* quoque Reſp. non eſſe tantum hoc noſtro tempore navigationis periculum, quantum fuit temporibus antiquis, quibus nondum fuit uſus magnetis & pixidis nauticæ, chartarum item nauticarum & aliorum inſtrumen-

mentorum, quorum ope & adminiculo hodie per Dei gratiam & commodius multò & minus periculose navigatur quam olim. Concludimus ergo usum optimi elementi hominibus adimi, si navigatio damnetur quam Hesiod. lib. 2. Dierum & operum, *optimam & compendiariam rei familiaris agendæ viam* appellat, imò & mercaturam à præcipuo hoc navigationis compendio ναυτιλίαν denominat. Oritur hoc loco quæstio, *an navigatio terrestri itineri sit præferenda*, quam Clariss. *Danæus* attingit loco supra citato, ita quidem ut concludat, navigationem præferendam. Et sunt pro hac sententia rationes. 1. Cum omne iter est motus ad metam., *illud præstantius erit quo citius ad metam pervenitur*. At vero *navigando citius ad propositam itineris metam perveniri potest*, quam terra eundo. 2. *Iter marinum est minus sumptuosum* & plures affert utilitates quam terrestre. Ergo *est præstantius*. Si quis dicat, *terrestre est tutius*. Ergo *præstantius*: illi probanda erit major, quod omnia tutiora sint præstantiora, quinimo contra, virtus in arduo posita est, & quæ difficilia sunt, eadem & pulchra sunt.

PARS

PARS ALTERA COMMENTATIONIS NAUTICÆ, quæ est Specialis.

Actum est in genere de Navigatione, ejusque causis efficientibus & finalibus, sequitur ut in specie ea breviter pertractemus, quæ ad navigationem instituendam pertinent.

Sunt autem vel naturalia vel Artificialia.

Naturalia Navigationis duo sunt præcipue, Mare & Venti.

Mare ad navigationem se habet ut circumstans, sive locus principalior. Nam etsi multa flumina sint navigabilia, tamen mari præcipue hoc tribuendum est, tanquam omnium fluminum generali receptaculo, in quo cursus navigationis & frequentior, & plenior, ac liberior, quam in fluminibus. Quare de eo potissimum Problemata nobis aliquot proponenda erunt.

Sit ergo Primum. An mare sit altius terra, & quanta ejus profunditas?

Inter quæstiones Physicas nobilis sane & difficilis hæc est: *Utrum terra sit mari altior*

altior an depressior. *Affirmativam* partem, quod mare sit altius, magni tuentur autores & graves rationes. Cic. 2. de Nat. Deor: *Mare* (inquit) *cum supra terram sit, medium tamen locum expetens, congregatur undique æquabiliter neque redundans, neque sese effundens.* Et Basil. homil. 4. Hexameri. *Ne aqua è locis quæ ipsam susceperant, exundaret, in unum sese colligere jußa est: alioquin quid prohiberet mare rubrum sua inexundatione totam obruere Ægyptum, utpote quæ mari est multo depressior, nisi Creatoris præcepto tanquam compedibus prohiberetur.* Argumenta hanc autoritatem stabilientia præcipua hæc. 1. Elementorum hic est ordo, ut sit terra loco infimo, altiori aqua sublimiori aer, eminentissimo ignis. Cum ergo mare ex verissima *Aristotelis* sententia sit ipsum aquæ Elementum, utique erit altius terra. 1. Qui ex mari ad terram contendunt, ex alto littora prospicientes, judicio oculorum, terræ humilitatem perspiciunt. Pro *sententia negante*, non minus sunt firma argumenta. 1. si mare terra altius, quid causæ reperiemus, cur aqua quæ sua natura deorsum tendit, ad declivia magno impetu fertur, terram non inundat. Ad providentiam divinam hoc referunt ii, qui affir-

affirmativam tuentur, allegantes locum Pſ. 104. *Terminum poſuiſti mari, quem non tranſgredietur.* Similia loca ſunt Job. 35. Jer. 5. Sed cum Deus res naturales per media adminiſtret, & Phyſicus per cauſas naturales ſua Theoremata demonſtret, videtur res in difficultate & dubio verſari. 2. ab Inſulis quæ hinc inde plurimæ ſupra mare extant; Jnſula enim nihil aliud eſt, quam terra ſupra mare eminens. 3. Navis æquali ventorum impetu impulſa, ex portu in mare apertum tam celeriter fertur, quam ex mari in portum, quod utique fieri non poſſet, ſi mare terra altius foret. Nam neceſſe eſt navem ſi in locum ſuperiorem elevari debeat, difficilius & tardius vehi; quam ſi ex loco altiori in decliviorem vergat. Accedit, quod flumina magno impetu feruntur in mare, quod fieri non poſſet, ſi mare terra altius foret, ſic enim flumina non deſcenderēt in mare, ſed aſcenderent, quod ſane eſt contra communem omnium hominum opinionem, quo conſtat loca maritima longe humiliora eſſe mediterraneis, ut *Dantiſcum* longe humiliori loco ſitum eſt, quam Polonia unde *Viſtula* defluens prope Dantiſcum ſe in mare exonerat. Sic ergo in utramque partem videmus penè æqualiter

verge-

vergere argumentorum lancem, nec opinor aliter enodari hanc difficilem quæstionem posse, quam commoda aliqua limitatione. Diverso igitur respectu verum est, quod mare sit altius, & quod etiam depressius terra. Altius est respectu littorum & orarum ad quas ita appellitur ut sensim tantum in globum seu circulum extumescat, atque ita tandem in medio sui velut fastigiatum assurgat, altitudinemque obtineat majorem, quam obrinet in iis partib. quæ à maris medio vergunt ad littora, quarum quidem partium altitudo sic decrescit, ut quo propius ad littora accedunt, eo sint ipsis littoribus, seu partib. terræ depressiores, ita nimirum ut terra in littoribus mari sit altior. Quod advertit *Danæus*, tract. 3. Phys. c. 4. Sed nobis Demonstratio hujus rei quærenda erit, quam memorabilem sanè suppeditat Arist. lib. 2. de cœlo. c. 4. ubi has ponit verissimas hypotheses. 1. *Aqua non minus globum & circulum constituit quam terra: sua enim natura sic descendit, ut sensim collecta aßurgat, inque tumorem se efferat, sicut & exiguas aquæ guttulas facere videmus.* 2. *Efficit autem aqua circulum, cujus idem sit cum mundi centro centrum:* de qua re etiam acutiss. Scaliger. exerc. 75. ubi disputat, aquam sua natura

descendere, contra naturam ascendere, contra eos qui opinantur aquam sua natura ascendere & descendere. Atque ex iisdem hypothesibus etiam, quas ex Arist. recensuimus, definiri potest jucundissimũ *Theorema Mathematicorum*, quod vas seu vitrum aliquod in loco humiliori, utpote ad radices montis vel in cella profunda plus aquæ aut vini capiat, quam idem illud vas capere potest in monte, aut in fastigio ædium, de qua re disputavimus *lib. 2. de loco. c. 7.* Concludimus ergo mare diverso respectu esse altius terrâ & depressius, idque contra D.D. *Conimbricenses* qui lib. 2. de cœlo c. 14. quæst. 4. ad tit. simpliciter & sine ulla limitatione statuunt mare esse terra depressius, quod sanè & contra naturam aquæ est, & contra manifestum sensum navigantium, qui ex portu solventes in altum deferuntur, qui ex mari ad portum adnavigantes propugnacula & turres maritimas navium fastigiis cernunt depressiores. *Objectio* illa de Insulis, quod ante monuimus talis omnino est, ad quam respondendum est. Quare inprimis sciendum, mare non secus ac terram habere suos in fundo campos, valles, colles, montes denique eminentissimos qui insulas etiam in medio mari constituunt,

ſunt, ſed ita ut ipſa aqua marina, quoad medium ſui, & ſupra has inſulas emineat, quod inde probatur. Quia ſi inſulæ ſupra mediam aquam marinam eminerent, nulla forent in inſulis littora, nulli portus, ad quos ex alto naves appellere poſset. Quod ad *alteram objectionem* attinet, qua opponebatur, navem ventis ſecundis utentem, eadem velocitate ex portu ferri in altum quâ fertur ex alto in portum, reſpondendum arbitror id fieri propterea, quod fluctus marini anteriores, etiamſi ſint eminentiores, cedant tamen facile impulſi impetu ſubſequentium fluctuum, & ſulcationi navis ipſius, & denique ventis velum contra fluctus anteriores intendentibus: quamvis nonnullos nautas audiverim, qui affirment, iiſdem ventis velocius in portum navigari quam ex portu in altũ. Jam vero quia ad maris altitudinem profunditas pertinet, de ea quoque in hoc problemate nobis tractandum fuerit & quærendum, *quam profundum ſit mare?* Et ſunt nonnulli in ea ſententia, quod mare profundius ſit ipſa terra, inter quos eſt B*urgenſis* celebris comment. ad c. 1. Geneſ. Sed hæc opinio ab aliis autoribus merito rejicitur; cum conſtet terræ profunditatem continere milliaria 6070. De Profundi-

 tate

tate autem maris etsi non omnes idem autores certo referant, tamen nemo est qui tantam ejus profunditatem, vel minima ausit ratione asserere. Scribit inter autores alios veteres *Priscian. Cæsarem missis per universum orbem terrarum exploratoribus tandem comperisse profunditatem ejus se extendere ad 15. stadia quæ nondum adæquant medium milliare Germanicum.* Alii vero posterioribus temporibus scripserunt, se in profunditate maris reperisse 30. stadia: *Solinus* c. 54. tradit mare in multis locis esse imperscrutabile, quod etiam *Plin.* ait lib. 6. c. 22. Sed id de certis tantum locis intelligendum est, nimirum de *India Orientali* ut ex citatis autorum locis diserte apparet. Nec verisimile est antiquos nautas habuisse tantam peritiam explorandæ profunditatis marinæ, quantam hodie habent nostri, qui cum totum Oceanum pene pernavigarint, ejusque altitudinem explorarint, tradunt paucissima esse loca in mari ad littora Norvegiæ, & in Oceano, quorum profunditas explorari nequiverit. Summam autem quę in mari hactenus explorata sit profunditatem, sese extendere ad milliaria duo cum dimidio, quanta nimirum existimatur esse celsitudo altissima quorundam montium. Qui Septentrionalem

lem plagam perlustrarunt, profundiora tradunt esse illa maria quam totius orbis, præsertim in *Norvegia, ubi adeo recta in profundum ascendunt littora, ut videantur abscissa, & nulla industria, nullis immensissimis funibus, ne quidem tantis, quantis maxima navigia onerari possint, addita etiam plumbi ferrive maßa, explorari maris profunditas possit.* Sed id refert *Olaus Magnus* lib. 2. Septent. Hist. cap. 10. qui autor dubiæ est interdum fidei. Videat qui vult plura apud *Ternell.* lib. 1. Cosmotheoriæ c. 2. & *Alex. Piccolh.* singulari libro de magnitudine terræ & aquæ. Cæterum quia profunditatem maris nautæ explorant peculiari instrumento, quod bolidem vocant, ideo hic breviter describendum erit. Est autem *Bolis* instrumentum ut diximus nauticum, pyramidalem trunculum forma referens, & acuta parte perforatum, quâ funibus attexitur, ita ut sebum ex altera parte applicantes nautæ in fundũ demergant, quoties locum stationi aptum nactos se esse existimant. Quod si ei arena adhæserit, commodam esse stationem colligunt, sin minus limum aut rupem subesse agnoscunt, cui anchora defigi non possit, atque adeo properandum alio esse. In Oceano præsertim Occidentali fundum ista-

bolide non reperiri quidam ajunt, inter quos fide dignissimus *Joh. Lerius* c. 2. navigationis in *Brasiliam*, quo loco ridet opinionem eorum, qui existimant nautas antiquos bolide humum ex fundo maris eruisse, qua humo cognoscerent, qua mundi parte & quibus in oris versarentur. Id quod propterea nonnulli confinxerunt, ut persuaderent antiquos nautas sine Magnete & Pixide nautica etiam commode in Oceano navigare potuisse, adminiculo bolidis, qua ex fundo arenam aut limum attrahentes regionis situm cognoverint, colore videlicet istius terræ, arenæ aut limi edocti.

II. An maris salsedo aliquid ad navigationem conducat?

DE salsedine maris tractat *Arist.* lib. 2. Meteor. cap. 1. & causas ejus affert partim ex *maris natura* partim ex *solis efficacia* desumptas. Ex natura quidem maris, quia aqua marina propter variam agitationem & commixtionem terræ, ex littoribus & fundo fiat crassior. Ex Solis efficacia quod is calore suo partes tenues in superficie aquæ marinæ educat, & in vapo-

res

res resolvat, qui quidẽ vapores, solis isto calore adusti, aquæ marinæ permiscentur, atque adeo salsedinem illi conciliant. Et hanc suam sententiam confirmat Philosophus, exemplo corporis humani, in quo calor nativus cibos etiam dulcissimos resolvit in salsum humorem, qui in renibus collectus egeritur. 2. Idem confirmat ab *experientia* quæ docet esse mare salsius æstate quam hyeme, item esse salsius ad orientem & meridiem quam alibi. Cui addi libet, quod aqua marina per ceram percolata dulcescat. Item: quod aqua maris circa fundum non sit salsa, sicut scribit acutiss. Scalig. exercit. 511. *Urinatores vitreis vasculis aquam è fundo maris extulisse, quæ dulcior fuerit quam in superficie.* Jam si quæratur: Utrum ad navigationem conducat Salsedo maris? omnino responderim conducere, ratione nimirum causæ, quæ est crassities; neque enim salsesceret maris aqua, nisi prius incrassescerer, crassities autem plurimum conducit ad navium moles & onera ejusmodi sustinenda. Merguntur enim citius naves in aqua dulci quam salsa, quia dulcis aqua propter subtilitatem & tenuitatem suam, facile cedit, salsa autem propter crassitiem magis oneri renititur. Sed & existimarim,

materiam ligneam navium, trabes & asseres a carie & putride præservari, per istam aquæ marinæ salsuginem. Salis enim hæc vis est, & natura ut putredinem arceat. Atque hoc loco minime nobis prætereundum est, quod de aqua marina & autores fide digni, & ipsa inprimis experientia testatur, eam nimirum *non extinguere sed irritare incendium*, atque adeo sæpissime accidisse, ut naves imò navium classes totæ in medio salo conflagrarint, de qua re *Macrob.* lib. 7. cap. Saturnal. 13. & *Plutar.* 10. Symposiac. quæst. 9. Causa hujus rei est quod aqua marina crassior sit & magis terrestris. Quod autem terrestre est, id siccum est, quod siccum ignem non extinguit sed alit, quia siccitas est qualitas amica igni. Accedit & hoc, quod Plutar. & Macrob. ex Arist. allegant, nimirum aquam marinam quia salsa sit, habere in se pinguedinem seu oleositatam quandam, qua ignis & alitur & incitatur, ut notum est ex communi proverbio, *Oleum igni affundere*. Vnde & experientia testatur magis ignem exardescere sale. Sali enim aliquid olei & pinguedinis inest. Hist. & exempla ad hanc rem valde accommodata refert Clarissimus *Philosophus Camerarius* Crat. Met. 1. c. 26.

III. V-

III. Vtrum certa aliqua causa assignari possit fluxus & refluxus marini: & cur in nostro mari Balthico non accidat?

AD navigationis cursum feliciter dirigendum accuratissime à Nautis observatur fluxus & refluxus maris in illis Oceani & maris mediterranei partibus, in quibus ista maris reciprocatio vehementius dominatur. Et est sane inter miracula ejusmodi, ut & antiquorum & recentium Philosophorum ingenia vehementer torserit. Nobis propositum est breviter tantum & simpliciter rem ita expedire, ut primo causam efficientem reddamus istius reciprocationis, post rationem inquiramus, cur ea non in omni mari accidat, non certe in *Ligustico & Balthico* nostro. Cæterum quid sit fluxus & refluxus maris, ex ipso nomine innotescere potest, nimirum *subitum recessum* aquę marinæ ex fundo & loco suo ad locum alium & ejusdem aquæ subitum reditum ad locum pristinum. Nec maria tantum sed & flumina sese in maria exonerantia hanc mutationem patiuntur, utpote quæ maris sese expandentis & tu-

mescentis impetu retroacta subinde videas, æstuque ejusdem maris refluentis, velut ingurgitantia subito & affluentia. Sic *Tamesis* fluvius ad Londinum in Anglia 5. à mari milliaribus fluere ac refluere cernitur, ad Hamburgum *Albis* 18. à mari milliaribus. Ad Antuerpiam *Scaldis* 18. à mari milliaribus. Causa hujus æstus seu reciprocationis est partim à *cœlo*, partim à *maris fundo*. Cœlestis causa est à *Sole* præcipue & *Luna*, quamvis interim negandum non sit etiam reliquarum *stellarum* efficaciam concurrere. Luna autem ut in reliquis omnibus corporibus inferioribus humorem minuit vel auget, ita etiam in vastissimo corpore maris singularem vim habet & virtutem, utpote quæ radiis suis ita diversimodè afficit, ut aqua marina interdum intumescat; interdum detumescat, non secus ac videmus in olla aquam ferventem uariè reciprocari, ita ut modo intumescat, interdum detumescat. Quando autem intumescit aqua, tum necesse est ex loco pristino & à tumore isto remotiori aquam subtrahi & defluere: contra quando detumescit, iterum oportet in locum pristinum velut ex monte quodam refluere. Prout ergo augetur lux lunæ & prout validius sparguntur radii lunares copiosiores

res

res & validiores in undas marinas, pro eo etiã validius intumescunt, & contra: prout radii & lux lunæ decrescit & minuitur, pro eo aquæ marinæ remittuntur & refluunt. Totus porro lunæ motus, qui quidem 24. horis peragitur, in quatuor velut divisus est partes quæ partes motus lunaris, partes etiam cœli 4. sive puncta 4. designant, nimirum Ortum & Occasum & duplex culmen seu medium, unum diei, alterum noctis. Singulis ergo 24. horis mare sequendo cursum lunæ quater movetur bis fluendo & bis refluendo. Fluendo, cum luna ab ortu ad culmen diei ascendit quod fit intra tres horas refluendo, cum eadem lunæ ab isto fastigio seu culmine diei descendit ad occasum. Rursus cum luna ab occasu ad culmen noctis ascendit, mare intumescit seu affluit, cum vero à noctis culmine ad ortum redit, mare detumescit ac refluit. Cum enim luna ab ortu ad fastigium diei movetur, tum supra nostrum verticem ascendit, & ita aquas marinas suo motu & ascensu velut elevat: aquæ autem elevatæ per sex horas refluunt; dum autem movetur à culmine diei sive à meridie ad occasum, per sex horas continenter recedit à nostro vertice seu Hemisphærio, atque ita remittendo

vim

vim ſui motus facit, ut aqua marina decreſcens refluat, non ſecus ac calor ignis ſi remittat, facit ut aqua in olla ſeu aheno detumeſcat. Cum denique ab occaſu ad culmen noctis luna movetur, quia ſupra Hæmiſpheriũ nobis oppoſitum aſcendit, efficit, ubi etiam mare intumeſcat, & contra cum deſcendit etiam detumeſcat. Ita fit ut in noſtra parte ſeu Hemiſphærio intra 24. horas bis mare æſtuet ſemel à portu in altum affluendo, & ſemel ex alto in portum refluendo: In parte vero mundi nobis oppoſita etiam bis æſtuat, defluendo nimirum, & refluendo, atque ita intra 24. horas integrum mare quater reciprocatur, noſtri reſpectu bis, & bis etiam eorum reſpectu, qui ex adverſo nobis habitant. Sed quærat aliquis non immerito, *quomodo radii Lunares in aquam agant & iſtum tumorem efficiant.* Reſp. id fieri mediante aere, qui lumen & radios lunæ excipit, & ſecum intra undas marinas defert, ita ut radii aquam marinam velut tepore quodam afficiant, tepor autem iſte rarefaciendo, flatibus plenum mare reddit, ut turgeſcat, ſicut in aheno videmus aquam propter calorem & rarefactionem turgeſcere. Eſt enim regula certa in Phyſicis & Medicis, *Quod calor imbecillis con-*

junctus

junctus cum fortiori frigore, efficiat ventos & flatus. Sic etiam in ipso maris fundo à radiis lunaribus flatus efficiuntur, & venti quibus aqua marina ita turgescit & intumescit, ut varia reciprocatione æstuans defluat & refluat. In ipso autem mari hæc causa reperitur, quod magnitudine sua & vasta expansione facile radios cœlestes admittat, & deinde etiam quod fundus ita sit comparatus, ut varios halitus producat, & in altum educat, quibus superior unda maris intumescit. Hinc est quod Oceanus reciprocationes habeat sæviores. Mediterraneum vero, quia minus amplum est, leniores, quia Oceanus sua patentissima magnitudine siderum vim efficacius excipit, mediterraneum angustius Oceano minus efficaciter radios istos sentit. Duo autem sunt præcipua maria, quæ nullam reciprocationem sustinent, nostrum nempe Germanicum seu Balthicum, & Ligusticum. Ac causa cur nostrum mare Balthicum reciprocationem non patiatur triplex reddi potest. 1. *angustia alvei*, per quam fit, ut copiam radiorum cœlestium sufficientem excipere nequeat, atque adeo ita vehementer inturgescere, ut inturgescunt maria ampliora. 2. Quod mare hoc nostrum nimis sit *septentrionale*, atque adeo à ra-

à radiorum cœlestium efficaci projectu longius dissitum, ut nimirum Luna in illud directis radiis agere satis nequeat. 3. Summa hujus maris *profunditas*, propter quā fit ut radiis cœlestibus minus sit pervium. Cum vero Ligusticum est alienum à fluxu & refluxu causa reddi potest. 1. angustia alvei. 2. saxositas fundi, per quam halitus in fundo resolvi nequeunt.

IV. *An naves velocius ab Ortu in Occasum, quam ab Occasu in Ortum ferantur?*

VElociorem esse navigationem ab Ortu in Occasum, tardiorem ab occasu in ortum experiuntur & testantur Nautæ. Illi enim qui ex Anglia in Hispaniam navigant, longe velocius eo perveniunt, quam qui ex Hispania in Angliam redeunt. Est autem Anglia respectu Hispaniæ Orientalior. Et Lusitani qui Africæ oram & promontorium Bonæ spei præternavigant in Indiam Orientalem, eo multo tardius accedunt, quam inde revertuntur, Illi etiam qui ex Hispania in Americam navigarunt, testantur 24. dierum spatio ex Hispania in Americam ab ortu in Occasum se-

se pervenisse, cum contra Hispaniam repetentibus vix tres aut quatuor menses sufficiant. Et poterunt ejusmodi rei testimonium etiam nautæ perhibere, quod hinc tanquam ab ortu, citius in Hispaniam contendant, quam inde possunt ad nos reverti. Hujus rei causam nonnulli in eo ponunt, quod maria omnia sua natura ferantur ad commune illud omnium marium receptaculum Oceanum Orientalem. Sed *Casp.* Peuc. *Iul.* *Scalig.* & alii celebres autores causam referunt ad motum primi orbis cœlestis, sive *primi* ut vocant *mobilis*, ab ortu in occasum rapidissime currentis, atque adeo secum tum inferiora Elementa mobila, tum ipsum aquæ elementum seu aquas marinas arcano quodam impulsu ab Ortu in occasum rapientis. Qui ergo ex occasu in ortum navigant, illis contrario cœli motu impulsæ maris undæ, ita obnituntur, etiam ventis secundis spirantibus, ut cursum habeant navigationis impeditiorem, quam habituri essent, si pari ventorum flatu navigarent ex ortu in occasum quo nimirum aqua marina cœli motu impulsa fertur. Ad eundem cœli impulsum referunt causam, *quod mare mediterraneum mirabili quadam ratione in gyrum circumagatur.* *A Palæsti-*

na enim scopulis qui ad orientem sunt incitatur, & secundum Phœnicia, Pamphylia & Gracia oras provoluitur, dehinc Dalmatia, Istria, & Illyria legit continentem, mox inde angulum Adriatici maris, in quo Venetia sita sunt, obiens in oppositum Italia littus, Flaminiam versus reflectitur, indeque Galliam, Hispaniam, & per angustias freti Herculei labens, Mauritania, Africa, & Ægypti littora praterlabens, in ortum redit. Causa hujus rei reddi alia nequit, quam quod mare mediterraneum angustioribus littoribus veluti repagulis coerceatur, ita ut etsi cœli motu, impulsu ab ortu in occasum contendat, tamen propter angustiam littoris cursum illum rectum tenere nequeat, repercussis nimirum & repulsis ejus undis ad latera, quæ repercussio fit à littoribus in partem oppositam.

Cæterum de *numero marium*, atque adeo de hoc nostro *Balthico* breviter hic nobis quædam subjicieuda sunt, antequam ad diversam materiam Commentatio nostra accedat. Communis autem est sententia propriè loquendo unum tantum esse mare, idque tale, ut totum orbem terrarum velut ambiat, quod *Basil.* Homil. 4. Hexam. his verbis testatur: *Mare unum est, veluti narrant illi, qui orbem perlustrave*

ſtraverunt, etiamſi enim Hyrcanum & Caſpium mare per ſe circumſcripta ſint, attamen ſi quid oportet credere illis, qui Geographiam conſcripſerunt, inter ſe mutuo perforata ſunt. Quod hic Baſil. dicit de perforatione, id accipiendum eſt, de occultis ſubterraneis meatibus, quibus hæc duo maria ſeſe inſinuant in *Pontum Euxinum.* Pontus autem Euxinus maniſeſte ſe exonerat in mare Mediterraneum. Etſi autem maria particularia, cum mari univerſali quod unicum eſt, certis partibus conjunguntur, tamen nihil obſtat, quominus varia & diverſa maria numerari poſſint, ſicut unicus terræ globus in diverſas regiones dividitur. Quotnam vero ſint maria particularia, nondum certo calculo ſubductum eſſe video ab autoribus. De *Iulio Cæſare* refertur, eum magno ſtudio, magniſque impenſis huc illuc miſſis exploratoribus, naturam & numerum marium indagaſſe, tandemque ad eum relatum, eſſe 30 in toto orbe terrarum inſigniora. Sed longe plura poſterior ætas aperuit, nimirum *novo orbe*, & inventis *Indiis Orientalibus.* Communiter Geographi partes Oceani ſeu maris Univerſalis ſic dividunt, ut aliud ſit *Indicum* in Oriente, aliud *Atlanticum* verſus occidentem, *Magellanicum* verſus Meridi-

em, *Glaciale* versus septentrionem. In Medio velut globi terreni mare *Mediterraneum*. Et denique mare *Germanicum*, quod à diversis gentibus varia sortitur nomina; diciturque mare Suevicum, Cymbricum, Sarmaticum, Scythicum, Pomeranicum, Veneticum, Codoneum, & denique Balthicum a *Balthia* quæ est peninsula Daniæ seu Scandiæ, Interluit autem tria Septentrionis regna, *Daniam, Sueciam*, *Norvegiam*, & ab Hellesponto Danico vel urbe Lubeca initio facto per 250. milliaria Germanica, inter *Germaniam*, *Borussiam*, *Livoniam*, *Russiam* & opposita *Daniæ* & *Finlandiæ littora* ad ortum extenditur multis sane partibus summè profundum; quinetiam ob angustiam littorum & scopulos periculosum ut multi nautæ testantur, se in aperto Oceano felicius navigare, quam in Balthico. Ac tantum de re marina, ad Rem nauticam pertinente.

De mari quod navigatur, quantum instituto nostro satis fuit, egimus. Consequens est ut strictim pertractemus de ventis, tanquam præcipuis navigationis effectoribus & actoribus. Navita enim *de ventis*, inquit Poeta, *de tauris narrat arator*. Sit vero primum Problema marinum minimè ἀνεμώλιον. *Utrum Ventus sit aer commotus, an vero diversa ab*

ſa ab aere exhalatio? De ventis *Ariſtoteles* diſputationem orditur. 1. Met. cap. 13. quam abſoluit 2. Meteor. cap. 4. ad 6. Quibus locis duplicem de ventorum natura, & generatione ſententiam proponit. Unam eorum, qui nihil aliud ventum eſſe voluerunt, quam *aerem commotum* & agitatum. Verum etſi interdum vocabulum venti in plebeia ſignificatione uſurpetur; pro aere agitato; tamen proprie & Phyſicè ventus quiddam aliud eſt, quam aer, quod hoc argumento patet *quod venti ex certis & diſtinctis mundi regionibus ſpirent, quodque diverſas qualitates & operationes habeant*, quod ſane de aere affirmari nequit. Verior ergo habeatur alia ſententia, quod ventus ſit *exhalatio* ab aere diverſa. Exhalatio, inquam, primaria & plerumque calida, & ſicca interdum vero mixta cum vapore fringidiori & humidiori. Quod vero ſit exhalatio probatur his argumentis. 1. quia venti plerumque *exſiccant*, aer vero ſua natura humectat. 2. Quia *color igneus* in nubibus apparens nunciat ventos, & luna rubicunda eoſdẽ præſagit. Cujus rei ratio reddi nulla poteſt niſi, quod fumi, id eſt, exhalationes calidæ, & ſiccæ eleventur in aerem atque interjiciantur inter lucem cœleſtem & no-

ſtrum aſpectum; lux autem immiſta fumo rubeſcit, ut in igne apparet, quando ergo denſiores iſti in aere fumi attenuantur & reſolvuntur, exoritur ventorum flatus. Accedit & alia ratio quia ſunt *crebriores* venti vere & autumno, quia nimirum his partibus anni, etiam crebriores ex terra fumi exhalant. Denique etiam *experientia* teſtatur, circa ortum ſolis ventos plerumque oriri, tota alioqui nocte tranquilla, quia nimirum ſol ſuis radiis appropinquans, exhalationes movet & elevat. Ita ergo ſentiamus: *ventum eſſe exhalationem præcipue calidam & ſiccam quæ circa terram oblique & tranſverſim movetur.* *Efficiens* ejus prima eſt. Virtus radiorum ſolarium attrahentium è terrâ, & aquis, materiam ſpirationibus ventorum idoneam. Accedit, frigus mediæ regionis aeri obſtans nimirum & propellens eouſque elevatam exhalationem, quæ propter id frigus ad mediam regionem penetrare nequit, ſed magna vi repulſa, atque intra infimam aeris regionem cohercita, atque interim in altum enitens, tumultuariè & transverſim in infimam regionem aeris prope nos impellitur. *Finem* ventorum naturalem & Artificialem aſſignemus. Finis *naturalis* eſt purgatio aeris & aquæ ne putreſcant,
vel

vel in se vel in illis corporibus quibus insunt, de quo *Senec.* inquit lib. 5. Nat. quæst: *Ergo ventos dedit summus ille rerum artifex, ad custodiendam cœli terrarumq; temperiem, ad evocandas supprimendasque aquas ad alendos satorum atque arborum fructus.* Alter finis *artificialis* navigationem inprimis spectat, neque enim dubito, quin Deus idcirco frequentiores in mari ventos oriri voluerit, ut navigatio humano generi res commodissima perficeretur. Si quis quærat, *cur illud ventorum genus, quod ex sicca & calida exhalatione generatur, manifestum frigus importet?* Resp. id accidere propter *longinquum aeris motum* per loca frigida non aliter, ac experimur anhelitum nostrum etiam calidissimum frigescere tamē, si per angustum velut oris nostri canalem & contracta labia expiretur. Neque interim negamus exhalationi isti siccæ & calidæ etiam vaporem frigidiorem & humidiorem permisceri, quia non tantum sicca & calida, sed etiam humida & frigida exhalatio, è terra & aquis in aerem erumpit, ita ut facillime ista duo exhalationum genera queant inter sese commisceri, præsertim, cum exhalationes non tantum è terra, sed etiam è mari maxima copia eleventur, ut mirum non sit, si quidam ven-

tus ſiccus, quidam frigidus & humidus operatione exiſtat.

IV. *Vnde Ventorum tanta vis eſſe poſſit, qua naves non modo impellat, ſed evertat?*

Mira ſanè de ventorum vi & impetu tum *hiſtoriæ*, tum *experientia* teſtantur. Nam ut taceam, quod c. 1. Job. de vehementiſſimo vento narratur, memorabile eſt quod *Olaus Magnus* lib. 1. cap. 4. Septent. Hiſt. refert, *ventorum in terris Septentrionalibus, tantam vim ſæpe eſſe, ut cataphractos equites proſternat* & lib. 7. cap. 3. ait *equites ſæpe à ventis ex ephippio abripi.* De *Tartarorum* regione Hiſtorici ſcribunt, *quod media æſtate venti ita invaleſcant, ut iis flantibus nemo poſſit equitare.* Nec tantum in Septentrionali parte, ſed etiam in Orientali ea ventorum vehementia deprehenditur. Nam à *Sinarum* regione in *Iaponiam* navigantibus, id narratur ſæpius accidere *ut navigia ventis in aerem velut elevata, ad littus elidantur.* Et anno 1456. in Italia tantus fuit ventorum impetus, ut multæ villæ agri Florentini, & oppidum etiam *Caſſianum* everſum, & dirutum fuerit. Sed non

non aliunde ſtnpenda illa vis ventorum cognoſci poteſt, quam ex *terræ motu*. Cum enim terra ſit corpus ſolidum & durum utique incredibilem virtutem oportet eſſe ejus rei, quæ terram concutit. Vnde *Ariſt.* in doctrina de terræ motu, *inter omnia mundi corpora, ſummam vim ſtatui & vento tribuit, & vocat corpus maxime movens*. Et quid vehementius eſſe poſſit, quam Spiritus è tormento bellico erumpens, in quem exigua pulveris pyrii pars reſolvitur. Cauſa tanti impetus, primò quærenda eſt in *radiis Solaribus* & aliorum aſtrorum, qui magna vi & efficacia agunt in materiam flatibus idoneam. Altera cauſa eſt, *copia ipſarum exhalationum*; quæ paulatim & continenter è terrra & aqua aſcendentes ſeſe mutuo propellunt, ut altera alteram veluti trahat. Tertia cauſa eſt ipſa *aeris commotio*, qua rapiuntur halitus & venti, qui & ipſi ſimul aerem rapiunt. Movetur autem aer paulatim initio facto, ſed tandem vehementiſſimo medio ac fine, non ſecus ac videmus aquam injecto lapillo paulatim per parvos circulos devenire ad maximos. Cæterum ut ad rem propius veniamus, tres potiſſimum ſunt ſpecies vehementium & impetuoſorum ventorum, quas Nautæ obſervant & formidant. Pri-

ma dicitur *Ecnephias*, quando nimirum multæ exhalationes densæ & confertim collectæ cavam nubem subeunt, ubi vel per circumsistentiam frigoris, vel mutuo collisu calefactæ rarescunt, tandem per disruptam nubem magno impetu densim propelluntur, unde & nomen habet ἐκ τῶν νέφων. De nautis *Lusitanis* scribitur, *quod sub Æquinoctiali, ejusmodi ventorum impetum frequenter sint experti, tandemque crebris periculis moniti, ubi nubem conspiciunt, vela subito contrahunt, quod nisi faciant, naves isto vibratu merguntur.* Altera species est *Turbo*, flatus nimirum ex diversis nubibus, vel ex diversa ejusdem nubis parte globatim protrusus inque se tortus ac retortus in gyrum, instar corticis in aqua. Dicitur idem flatus & *Typhon.* Hic quidem capitalis est velut nautarum hostis, utpote qui non vela tantum rumpat & dejiciat, sed ipsas naves frangat, absorbeat, & in altum non nunquam evehat, sicut & in terra arbores & saxa suis locis mota secum devehit. Tertia species est *Prester* à πιμπρήμι quod est *incendo*, halitus nempe impetuosus, qui vel ex circumsistentia frigoris, vel ex vario repercussu & arietatione, ignem concipit, & ex nube erumpens, flatum simul & ignem miscet, ita ut non solum

solum prosternat obvia sed & comburat.
Ex hoc vento mare dicitur interdum effervescere sub ipsis navibus, quia naves magna vehementia penetrant in profundum aquæ. Dominantur autem sævi ejusmodi impetus, uno in mari plus, altero minus, unde minus est periculi navigantibus in uno mari, quam in altero. In *Indica navigatione*, propterea valde periculosa est ea pars Oceani Atlantici, quæ est ad promontorium *Bonæ spei*, & cum ex portu in *Japoniam* navigatur, ferunt nautæ eam navigationem, inter omnes hujus temporis navigationes, esse periculosissimam.

V. Utrum sciri possit, ex quibus mundi partibus spirent, & quotnam sint numero venti?

SUnt nonnulli in ea sententia, rem esse imperuestigabilem, undenam venti oriantur & spirent, proque ea opinione allegant loca nonnulla Scripturæ, ut Psal. 135. *Depromit ventum è thesauris suis*. Et Jerem. 10. v. 13. similis est locus. Resp. eodem plane versu Psalmi, causam & originem ventorum exponi, dum inquit, Facit ut ascendant vapores à superficie terræ.

Per thesauros autem intelligit specus & loca abdita, unde prima halituum origo. Citant locum consideratione dignum. Joh. 3. v. 8. ubi Christus inquit: *ventus quo vult spirat, & sonum ejus audis, sed nescis unde veniat, & quo vadat.* Resp. Salvatorem non simpliciter negare, quod sciri non possit, unde venti spirent, sed id tantum dicere, cum ventus sit quiddam hominibus invisibile, per se ex flatu ventorum sciri non posse ad sensum, unde ventus spirent, nisi deprehendatur certis signis, ut sunt vexilla in culminibus ædium & templorum, quæ ad motum ventorum convertuntur. Lamb. *Danæus* insignis Theol. tract. 2. Phys. c. 30. de ventis agens, ita hunc locum Ioannis interpretatur. *Ea*, inquit, *Christi sententia de hominum vulgo vel eorum qui Physicam non didicerunt accipienda est cognitione. Itaque non antiquat hanc pulcerrimam Physicæ partem, quæ de ventis agit, sed tantum docet, omnes omnium Physicorum regulas Dei imperio & nutui subjici, ut eatenus veræ sint, quatenus ipse vult, quod ex cap. 20. Job. manifestum est.* Alias ut c. 1. Eccles. v. 6. apparet, est omnium ventorum motus & flatus certa quadam ratione cognitio. Concludimus ergo sciri posse, unde venti spirent, nimirum

rum ex diversis mundi partibus *Ortu, occasu, Septentrione, Meridie, & locis intermediis*. Ex his mundi partibus, ventorum divisio & numerus subducitur, quod nimirum alii sint *Cardinales*, alii *Collaterales*. Cardinales venti sunt, qui ex 4. mundi partibus Cardinalibus spirant, ab Oriente *Subsolanus*, ab occasu *Favonius*, à septentrione *Aquilo*, à meridie *Auster*. Collaterales venti non eodem modo definiuntur ab autoribus. *Aristot.* ventos 11. numerat, sed ex his octo universales & præcipuos. Nam præter Subsolanum, Favonium, Boream, Austrum alios numerat, à punctis solstitialibus, tam hybernis quam æstivis, prout videre est in Schemate ventorum quod in suis Physicis *Lieblerus* ex Aristotele designavit. Verum recentes Hydrographi & Nautæ ventorum numerum ex longa observatione, sic auxerunt, ut jam 32. numerent, quorum Schema in pixide nautica depingi solet. Numerant autem ita, ut totum Horizontem, id est, dimidiam mundi plagam dividant in partes æquales. 32. & sub ea parte, quæ est ad *Polum Arcticum* collocant Aquilonem, in parte autem Diametraliter opposita Austrum, & sic in Circulo, linea Diametralis ab uno polo ab alterum ducitur. Hanc

deinde

deinde Diametralem lineam ad angulos rectos interſecant, ab ortu æquinoctiali, id eſt, exactè medio ad Occaſum æquinoctialem, & ſub ortu Æquinoctiali ponunt Solanum, ſub occaſu vero Æquinoctiali, Favonium. Deinde in puncto medio inter quoslibet duos horum Cardinalium ventorum, collocant ventum unum collateralem à Cardinali proximum, atque ita jam octo ventos habent. Deinceps iterum puncto medio, inter quosvis duos horum octo Ventorum adhuc alium collateralem deſignant, ut fiant 32. quæ res non tam ex textu doctrinæ, quam ex oculari inſpectione percipi poteſt, ideo illis qui regiones ventorum exactè cognoſcere volunt, commendo *quadratum Nauticum Gemmæ Friſii*, quod extat ad caput 15. *Coſmographiæ Appianæ*.

VI. An ſint quidam Venti ſtati qui continuis aliquot menſibus ab aliqua mundi plaga ſpirent?

TRadunt Nauticæ rei periti in noſtris regionibus & noſtro mari, valdè inſtabiles & mutabiles eſſe ventos: contra vero

ro alibi ſtatos magis ac durabiles. In *mari Indico* qua Calecutum verſus navigatur & *Inſulas Moluccas*, à Junio uſque menſe ad Octobrem ſpirare dicitur ventus Orientalis, ſex autem qui ſequuntur, continue flat occidentalis. Tales ſtati venti fuerunt ii, quorum jndicio *Chriſtoph. Columbus* novum terrarum orbem humano generi detexit. Etenim cum homo ſagaciſſimus obſervaret in littore *Luſitaniæ* ſtatos ventos mare perflantes, certis anni temporibus, conjecturam ingenioſam fecit, eos ventos non ex mari, ſed ex humectata terra oriri, idcirco conſtantiſſime in ea ſententia perſtitit, ultra Oceanum, terras humano generi nondum cognitas exiſtere, unde iſti tam conſtantes venti in Luſitaniam perſpirarent. In noſtris regionibus etſi ut ante diximus, magna ſit ventorum inſtabilitas, tamen ſingulari Dei beneficio accidit, quod interdum etiam quandam ventorum conſtantiam experiamur, nempe tum temporis, quando oritur ardentiſſimum *Caniculæ ſydus*, ſole nimirum primam Leonis partem ingrediente. Hujus Caniculæ ortum, dies 8. aquilones antecedunt, quos *præcurſores* Phyſici vocant, poſt biduum autem exortus, iidem Aquilones conſtantius perflant diebus 40, quos

Ete-

Etesias vocant, propter anniverſariam nimirum iſtam Periodum.

Cæterum antequam ex doctrina hac digrediamur, ſubjiciam quaſdam regulas & obſervationes ventorum ex quibus prima eſt: *Quod venti induant diverſas qualitates, propter regiones diverſas è quibus ad nos ſpirant.* Etenim Septentrionales venti frigidi ſunt, qui perflant loca nivoſa. Auſtrales autem calidi & humidi, qui perflant maria & terram humidam, & calida per zonam nimirum torridam. 2. *Quod venti qui cum ſole oriuntur, vel in contrariòs vel in maxime collaterales mutentur.* 3. *Quod venti qui cum ſole oriuntur paulatim invaleſcant, & fiant vehementiſſimi meridie, à meridie vero mitigentur, & deſinant circa ſolis occaſum. Qui vero venti ſole occidente incipiunt, media nocte ſunt ſæviſſimi, mane vero ceſſant.* Et tantum etiam de ventis.

Naturalia Navigationis hactenus expedivimus, Reſtant artificialia, quæ ſunt vel Externa navis vel Interna.

Externa navis voco ea, quæ non ſunt partes navis, ut inprimis eſt admirabilis illa Pixis Nautica, cujus conſideratio liberalibus ingeniis utiliſſima eſt.

VII.

VII. *Quomodo pixis Nautica fabrefacta sit, & quis ejus usus?*

PIxis Nautica inter omnia quæ homines fabrefecerunt & usurparunt instrumenta maxime omnium admiratione digna est, ut Clariss. Philosophus *Cardanus* lib. 17. de artibus & artificiosis rebus merito dicat: *Inter cætera inventa primam admirationem deberi pixidi Nauticæ, quippe qua tot sulcantur maria, veteribus nec navigata, nec nota, & cui tot hominum salus, tantæ varietates mercium, tanta pecuniæ vis creditur. Ipsorum regum & Principum vita committitur vasculo tam paruo, virgulæque, imò acui modicæ. Nec solum sufficeret hoc credidisse, nisi ea nos regat & doceat, lapisque sensus expers, tot viris sapientissimis oculatis atque auritis præstet.* Et *Bodin. c.* 7. Methodi Histor. *In tota rerum natura, nihil est admirabilius magnete, estque usus ejus plane divinus.* Inventa autem est hæc pixis ante annos 300. à *Flavio* quodam *Melphi*, qui in *Campania* regni Neapolitani provincia habitavit. Ejus fabrica breviter sic describi potest. 1. Est vasculum seu pixidecula lignea, plana, & rotunda, altitudine duorum aut ad summum trium digitorum. In hujus

jus vaſculi fundo rotula quædam eſt verſatilis papyracea. Hanc rotulam papyraceam planam, ſuſtinet ferramentum tenue & velut bipartitum, in centro vero ænea quædam & acuminata turricula defixa eſt, quæ ſtylo ſeu cuſpidi acutæ inſidet, atque hinc inde voluitur in æquilibrio. Ubi autem conquieſcit, ea ejus pars, quam lilii imagine nautæ inſigniunt, & in qua ligula ſeu ferramentum, magnete confricatum deſinit, ibi *Septentrio* & Polus Arcticus oſtenditur, quocunque contorto clavo navis impellatur. Qui autem fiat, quod pars ferramenti ſive ligulæ, ea quæ ad Magnetem affricata eſt, ſeptentrioni obvertatur, id nullius hominis adhuc ingenium potuit perveſtigare. Cæterum in ejus quam diximus rotulæ circulo, ductæ ſunt à centro ad circumferentiam 32. lineæ æqualiter diſtantes in hunc uſum. 1. ut deſignent cœli cardines & ventos, quos 32 à Nautis numerari ſupra diximus. 2. Ut denotent terræ ac maris ſpatia celebrioribus partibus diſtincta per gradus in quos lineæ incurruut, & qui depicti ſunt in quadrato nautico *Gemmæ Friſii*. Diligentiſſimè autem hanc pixidem nauticam aſſervant, muniunt, obducuntque vitrea aliqua lamina, quia facile corrumpi hoc tam pretioſum

tiosum instrumentum potest; si vel pulvis inspergatur, vel pinguedo aliqua, vel etiam si pixis hiet nimis atque adeo aerem admittat, quo vis magnetis facile dissipatur & exhalat: de quibus cautionibus circa pixidem nauticam adhibendis, videri potest *Petrus de Medina* lib. 6. rei Naut. cap. 1.

Inter instrumenta quæ sunt partes navis, præcipua sunt Gubernaculum & velum, de quo utroque problema hoc ex Aristotele libet movere.

VIII. Quæ causa sit cur vela eorumq; antennæ, quo altius malo affiguntur, eo velocius navim impellant, & cur tam exiguo gubernaculi ligno, tanta navium moles promoveatur?

IPsum ὅτι quod videlicet antennæ velorum, altioribus mali partibus alligentur, satis manifestum est. Sed ratio ejus rei diligenter investigata est ab *Arist.* 6. quæst. mechan. c. 11. ubi docet *navim construi ex circuli Hypothesibus, ita nimirum ut malus sit semidiameter, qui exurgat directe ex ipso navis Centro.* Quo ergo ali-

quid eſt altius in malo poſitum, eo eſt à centro navis remotius. Jam autem certiſſimum eſt Axioma Mathematicum: *Virtus movens, quod eſt remotior à centro, eo eſt velocior & validior.* Eſt autem remotior antenna à centro navis, qnando ad mali faſtigium alligatur, unde neceſſe eſt, vela à nautis non humili, ſed altiori loco extendi; ut impetu ventorum excepta velociori & validiori navem propellere poſſint. Et ſane ſi in ima mali parte vela extenderentur, aut plane non propellerent navem, aut debiliter admodum, quia eſſent nimis vicina centro navis. Illuſtrat hoc *Ariſt.* duobus jucundis exemplis, dum primo quærit, *cur lapis è funda ejiciatur velocius & validius, quam è manu, & cauſam eſſe ait, quod in corpore humano centrum conſtituendum ſit, manus autem ſeu brachia ſint lineæ ex Centro ad circumferentiam ductæ, quo autem linea à* Centro *ad circumferentiam ducta eſt longior, eo validior, velocioremque habet in extremitate motum. Cum autem funda ſit linea longior à centro corporis humani, quam manus, ideo velocior erit & validior è funda jactus lapidis, quam ex manu.* Alterum exemplum petit à ligno genibus admoto & frangendo: *Si velis* inquit *pedibus admotum lignum frangere,*

gere, utique aprehendis utraque manu lignum non ad ipsum genu sed in extremitate ligni remotius à genu. Ratio ex eodem fundamento circuli petita est, *quia*, inquit Aristoteles, *genu est centrum, lignum admotum est linea utrinq; à centro promananas ad circumferentiam.* Ergo in extremitate hujus ligni tanquam lineæ à centro ductæ; longe validior & fortior erit tuarum manuum motus, quam esse possit ad ipsum genu, tanquam ad centrum. Atque ex eodem fundamento ratio reddi potest, cur si adverso flumine, quod sæpe fit, navigia protrahenda sint, vel equis vel viris, funis quo navis trahitur, non alligetur medio mali, sed summitati, nimirum, quia ut supra diximus, malus est linea à centro navis ducta: ideo erit expeditior motus in ista linea extrema, quam media. Qui autem fiat, quod tam exiguum gubernaculi lignum, tantã navis molem facilè flectat, id etiam *Arist.* in mechan. tractavit c. 10. Et rationem ejus petit à natura vectis: vectem autem reducit ad circulum, ita ut statuat propterea navem à tam exiguo temone flecti posse, primò, quia gubernaculum seu temo est velut vectis, urgens onus navis pondere fluctuum, quibus gubernaculum annititur, & isto annisu na-

vi renititur. Accedit, deinde, quod gubernaculum à centro navis est remotissimum, quò quid autem à centro est remotius, eo validiorem habet motum. Antequam hæc Problemata concludamus, non possum non addere, quod *Leo Baptista Albert.* lib. 5. rei ædificatoriæ. cap. 12. & post hunc *Lilius Gyraldus* cap. 3. de Nautica re monet, *navium fabricandarum exempla veteres & lineamenta duxisse à piscibus, ita ut ab illorum dorso, carinam, à capite proram, à cauda temonem, à branchiis remos formaverint*: alii ab avibus rationem extruendi & regendi naves ductam volunt, pro quorum sententia hoc facit, quod Poetæ vela vocent *alas* & *remigium alarum* pro remigibus nominent.

IX. *Quæ & quanta fuerit apud Veteres navigandi peritia?*

SIcut postremis his temporibus in humano genere ad artium commoditatem & lucem plura sunt addita, idem quoque judicandum est de *re Nautica*, quæ longe fuit incommodior & infelicior apud veteres, quam hodie est apud nos. Namprimo veteres caruerunt magnetis & pixi-

& pixidis Nauticæ usu, cursumque direxerunt ad Vrsam majorem vel minorem, quæ stellæ cum obductæ nubium caligine non apparerent, ignorarunt nautæ ubi terrarum & gentium versarentur. 2. Veteres tantum usi fuerunt navibus actuariis, id est, talibus quæ remis aguntur, sine remis autem non navigarunt ut ex 1. Ionæ vers. 23. inter alia constat. 3. Mare mediterraneum pene solum obnavigarunt veteres, Oceanum autem Occidentalem vix ausi fuerunt attingere. Et denique oras tantum & littora maris plerumque legerunt veteres nautæ, medio mari non facile sese committentes, ut ex navigatione *Apost.* Act. 7. descripta, videre est. Quo de argumento inter alios tractat *Petrus Citzius.* lib. 2. Hist. Indicæ, ubi docet, *sine acus marinæ usu navigationem in alto Oceano institui non posse. & idcirco veteres in illo Oceano non potuisse navigare.* Sed obiicitur. 1. Autoritas *Levini Lemnij.* lib. 3. de Occult. nat. mirac. c. 4. & aliorum aliquot doctorum virorum, qui existimant etiam *pixidem Nauticam, veteribus fuisse notam & usurpatam, eamque nomine Versoriæ à Plauto denotatam fuisse in Mercatore, ubi inquit: Hic ventus nunc secundus est, cape versoriam. Et in Trinummo. Cape versoriam,*

recipe te ad herum. Sed horum opinionem rectè improbat *Hadr. Turnebus* lib. 2. adversariorum c. 4. ubi ostendit *versoriam apud Plautum* nihil esse aliud, quam funem quo velum vertitur. Altera objectio movetur. 2. Reg. 9. 10. ubi Scriptura testatur: *Salomonem regem instructa classe emisisse, qui in Ophir navigaverint*: Ophir autem partem *Americæ* fertilissimam, nẽpe auri. Sed hæc opinio nullis nixa rationibus facile refutatur. Nam 1. Ophir dicta est ab *Ophir filio Iectan* cujus Gen. 10. v. 19. fit mentio, quique sedem in Oriente constituit, teste *Iosepho.* lib. 1. Antiquit. 14. Verisimilius ergo multo est, non in occidentem ubi America sita, sed in *Indiam Orientalem*, istam Salomoniam navim navigasse, nimirum ad *Tabrobanam*, celeberrimam Indiæ orientalis provinciam, *aurea Chersonesus* veteribus dicitur, quamque Ophir olim dictam fuisse, *Iohannes Linschot* testatur in navigatione sua Indica c. 19. Et sane in Occidentem emissam illam classem fuisse, manifesto argumento est quod Scriptura testatur, eam adornatam fuisse in littore Idumæo, adhibitis nautis Sydoniis & Tyriis. Quod si in Orientem navigandum fuisset, quid in Tyrico potius aut Sydonio littore, quam ad mare rubrum

brum classis parata fuit? Ex mari enim mediterraneo ad quod Tytus & Sydon sitæ fuerunt, recta per fretum Herculeum navigatur, flexis ad sinistram velis, ad Hispaniolam, & inde porrò in Americam.

X. *An Echeneis piscis navigia retardet? & nonnulla etiam de Nautilo pisce.*

INter summa naturæ miracula numerari potest, quod piscis non ita magnus, ingentem navium molem, ventis remisque impulsam retardare possit & sistere. Neque id facile nobis credendum foret, nisi magni authores allegata experientia testarentur. Autores inquam sacri: *Basil.* Hom. 7. Hexam, *Ambros.* eodem Hexam. profani etiam veteres *Plin.* lib. 37. cap. 1. Æliani, lib. 15. cap. 14. Plutar. 2. quæst. convival. quæst. 7. Sed & recentes Philosohi id comprobant, ut *Fracastorius* lib. 8. de Antipatheia, *Scalig.* exer. 218. *Cardan.* 3. de rerum varietate, cap. 37. Vocatur avtem piscis ille Græcis ἐχενηίς à tenenda nimirum nave, Latinis *remora*, à remoranda nave. Quæ causa sit ejus rei, id torquet ingenia Philosophorum. *Fraca-*

storius ait, *non ipsum piscem esse causam, cur navis retardetur, sed esse tantum signum, quod adsint scopuli quibus navis sistitur.* Sed acutiss. *Scalig.* citata exercit. recte refutat hanc opinionem, utpotè experientiæ contrariam. Ipse tamen hujus rei refert causam ad occultas qualitates hominibus ignotas, aitque *non magis quæri debere, cur remora navim sistat, & quietem causetur, quam ignis sit calidus.* Dicam tamen breviter quid mihi hac de re videatur, sumpta nimirum investigandi occasione ex *Torpedine*, id est, eo pisce qui piscatorum insidiantium manus stupere facit & tremere, ipsumque adeo rete velut brutescere, ut capi non queat, propter effusos nimirum è corpore sive spiritus sive Humores, qui nervos & digitos piscatorum stupore quodam debilitant. Ita existimo etiam Remoram piscem effundere è corpore suo humorem quendam viscosissimum & frigidissimum, qui eam aquam quæ est circa gubernaculum navis, velut congelat, ut ad motum reddatur inhabilis. Sub finem hujus contemplationis libet addere, id quod etiam magnum naturæ miraculum *Plinius* appellat. l. 9. cap. 29. nimirum esse piscem quendam, qui ναυτίλος vocatur, qui peritus navigandi & gubernandi, cum

cum hominibus arte nautica veluti certat. *Supinus*, inquit, *in summa aequorum perfluit, ita sese paulatim subrigens, ut emissa omni per fistulam aqua, veluti exonerata sentina facile naviget, postea duo prima brachia retorquens, membranam inter illa mirae tenuitatis extendit, qua velificante in aura caeteris subremigans, brachiis media cauda ut gubernaculo se regit.* Qua de re prolixius & evidentius aliquanto scribit *Ælian.* lib. 6. c. 33. Nobis nunc libet vela commentationis nauticæ contrahere, & ingenii navim in portum deducere.

FINIS.



COMMONITIO
Ad Lectorem:
Spectans
VARRERIUM
&
KECKERMANNUM;
Quod ad OPHYRÆ REGIONEM.



Uæ memorantur pag. 249, quibusque respondet Varrerius Thomæ Cajetano, ex verbis sacræ Scripturæ, ubi dicitur, *Hiram Rex misisse Salomoni naves & nautas &c.* perperam existimanti, quasi Hiram Rex ex Tyro Phæniciæ, celebri eo ævo ad mare mediterraneum oppido, ac rebus navalibus præpollente, classem suam, ut ea navibus Salomonis, quæ erant in mari Rubro, jungeretur, per mare illud mediterraneum, perque Herculis fretum, ac omnem eam Africæ oram, flexo postremum Bonæ Spei promontorio, circumduxerit, ac intra tandem angustias maris Rubri stiterit: His inquam accurate respondet Varrerius, sed ob brevitatem, qua utitur, ac Laconismum nonnihil obscurius. Hoc enim vult Varrerius,

rerius, habuisse Hiram Regem, non minus quam Salomon, suam in mari Rubro classem naviumque stationem, sed alio ejusdem maris loco constitutam: & ideo dici, misisse eum naves & nautas suos ad Salamonem: Nec esse necesse, quod fecit Cajetanus, accipere eam missionem ea mente, quasi tanto flexu eam classem ex mari mediterraneo per Africæ interioris exteræque sinus ac littora circumduxisset. Nam, ut provide subdit Varrerius, quis vetet, quæ apud Alexandriam in mari medeterraneo sunt naves, quin mittantur Carthaginem, atque hinc Uticam sive Hipponem, quæ ejusdem ibi maris sunt oppida? Ita quoque Hiram Rex cum classem nauclerosque eodem in mari ad manus haberet, quid vetet, quo minus ex iis & classem & classiarios Salomoni in auxilium submittere potuerit. Animadvertit idem maximus virorum Franciscus Vatablus in Annotationibus, quas loco isti 3. Reg. cap. 9. subjecit; Sed iis id verbis extulit, quæ ut cuncta hic reddantur illustriora haud quaquam hoc loco sunt omittenda. Ait enim: *Hiram misit non è Tyro Phænicia, quæ erat juxta Sidonem ad mare Syriacum, sive mediterraneum: sed ex insula quadam, cui nomen Tyrus ad mare*

Rubrum,

Rubrum, quæ erat illi ſubdita; miſit inquam ſervos ſuos, qui habitabant in inſulâ. Hucuſque Vatablus. nec eſt, quod temere quiſpiam, aut præter rem, hanc ab eo inſulam nominatam eo loci exiſtimet; cum ejus quoque meminerint Geographorum principes Strabo & Ptolemæus. Et quidem Strabonis, ubi de Perſico ſinu agit, hæc ſunt: *Tyrus inſula in alto mari verſus auſtrum jacet, duobus millibus ſtadiorum à Carmania diſtans. In ea Erythræ ſepulchrum oſtenditur, ingens ſane tumulus & ſylveſtribus palmis conſitus. Hic Erythras his in locis regnavit, & mari de ſe nomen reliquit.* Hæc Strabo. indicare ſcilicet volens, alias hoc mare ab ipſo Erythra Erythræum ſeu Rubrum appellari. Nam ibidem cum ſequatur continuo, ut vertit Xylander, *in totâ maris Rubri orâ arbores in profundo naſcuntur*, habetur in Græco, καθ' ὅλην δὲ τὴν τῆς ἐρυθρᾶς παραλίαν &c. id eſt, *juxta oram univerſam Erythræ ſive Erythræi maris &c.* Stephanus de Urbibus, ità loquitur: *Eſt & Tyrus inſula in mari Erythræo ſeu Rubro* (πρὸς τῇ ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ) *quam Artemidorus Tylon vocat.* Ecce quam Tyrum alij, Artemidorus Tylon dixit. Nec aliter appellat Ptolemæus qui in exitu ſinus Perſici ubi is dilatatur, collocat; quod Tabulæ ejus

jus Geographicæ ſatis atteſtantur omniumque oculis ſpectandum exhibent. Recte igitur nec temere Vatablus.

Quam tanti viri palmariam obſervationem, præteritam à Varrerio, cum ejus tamen ſententiæ juvandæ haud leviter faciat, oppido miratus ſui, & eo magis, quod idem Varrerius Vatabli de Hiſpaniola opinionem jam ante poſuerit ac confutaverit. Nam ſane nullus nunc eſſe ulterior ſcrupulus poteſt in verbis SS. literarum, cum dicatur, *Hiram Rex miſiſſe naves ac naucleros ſuos Regi Salomoni*, non ex Tyro ſcilicet Phœniciæ (quomodo præpoſtere exiſtimarunt, & in his, ut patuit, Cajetanus, eruditorum haud infimus) ſed ex Tyro ſinus Perſici, qui & Erythræum ſeu Rubrum mare dicitur, eos miſſos adveniſſe. Hos vero atque ejuſmodi naucleros claſſiarioſq; Indicis eorum locorum inſulis ac peninſulis tanto propiores, eo quoque habuiſſe illis in oris exploratiora omnia eoque præcipue expetitos à Rege Salomone, qui interius colebat, nullum ſit dubium.

Jam qui ſequitur Keckermannus, jure, quod ad idem quoque argumentum, cenſuram meretur. Nam ille cum utramque de Ophyra regione opinionem: quarum altera Joſephi eſt, ſtatuentis in Indiam Orienta-

rientalem verſus Aureã Cherſoneſum claſſem Salomonis miſſam; & alteram, quæ verſus Hiſpaniolam & Americam per Herculis fretum è littore Tyriorum navigatum vult, ſatis evidenter Probl. 9. Partis ſecundæ, propoſuerit, ſe in poſteriorem concedere memorat. Rationes ejus hæ ſunt, quia claſſis adornata ſit in littore Idumæo, adhibitis nautis Sidoniis & Tyriis: Nam, ut addit, ſi in Orientem navigandum fuiſſet, quid in Tyrico potius aut Sidonio littore, quam ad mare Rubrum claſſis parata fuit? Ex mari enim mediterraneo, ad quod Tyrus & Sydon ſitæ fuerunt, recta per fretum Herculeum navigatur, flexis verſus ſiniſtram ad Hiſpaniolam, & inde porro in Americam velis.

Reſponderi jam facile his poſſe ex antecedentibus tam Varrerij quàm noſtris, ſatis liquet. Nam ſane littus illud Idumæum, in quo adornata claſſis fuit, ad mare
c. 8. v. 17. Rubrum fuiſſe, diſerte habent verba Paralipom: ubi dicitur abiiſſe Salomonem in Aſion Gaber & Ailath ad oram maris Rubri, quæ eſt in terrâ Edom. Et adde, quod ex Vatablo jam meminimus, naves naucleroſque Regis Hiram ſive Tyri ex inſula Perſici ſinus Tyro etiam dicta, non verò Tyro Sydoniæ, Salomoni fuiſſe ſub-

ſubmiſſas. quamvis & fieri potuerit, quod Varrerius Cajetano opponit, ut Tyri Rex materiam dolatam, ex quâ naves fieri ſolent, camelis & aliis jumentis, ſuperato Iſthmo inter illa duo maria interjecto, Aſion-Geber deportari curarit, quomodo olim à Sultanis Ægypti, & nunc à Turcis fieri ſuevit, quandocunque claſſes, quas illic habent, reficere, ſeu ædificare novas uſus efflagitet. Quam Varrerij, ſeu alteram Vatabli cui ſequi ſententiam ſive reſponſionem lubet, per me licet.

Et præter hæc, alia item à Keckermanno adferuntur Syſtematis Geographici lib. 2. quibus novum, quem vocamus, orbem veteribus olim cognitum vult oſtendere, dicendo, Platonem in Timæo & Critiâ ita Atlantidis meminiſſe, ut pene deſcribat hunc orbem: Et Ariſtotelem in libro de Mirabilibus Mundi memorare, ſenatum Carthaginenſem publico edicto caviſſe, ne cives, belli Romani tædio, amplius in Atlantidem navigarent, quaſi in alium orbem: & Plinium referre, Hannonem Pœnum novas terræ partes reperiſſe; & denique Senecam in Medea ſub finem ceciniſſe: Cap. 4. lib. 2. cap. 66. & lib. 6. cap. 32.

Secula

Veniet annis
Secula seris, quibus oceanus
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat tellus Typhisque novos
Detegat orbes, nec sit terris
Vltima Thyle.

Si ergo veteres, ità porrò addit, nihil sciverint de novo orbe, quomodo Seneca tam expresse potuit de eo vaticinari?

Respondendum, ut à fine incipiam, Senecam non de certo aliquo orbe novo sed de orbibus, id est, Terris & insulis novis, poetice aliquid injecisse, deque iis, ut futuris, non tum cognitis, vaticinatum: & locum hic ea non habere, ubi demonstrandum erat, non quid esset futurum, aut fieri aliquando posset, sed quid esset: Atlantidem vero Platonis & Aristotelis, sive Atlantides insulas, haud alias esse, quam quæ in Oceano Atlantico sunt positæ insulæ Fortunatæ, Plurarcho etiam in Sartorio nominatæ; & Plinio, qui Hesperides appellat. Nec aliud, quod Hannonem spectat, respondendum; nihil eas terræ partes ad novum, qui hodie est notus, orbem pertinere, nec ullam ibi Ophyram reperiri; cum Orbis novus, si aurum Peruanum excipias, nihil earum rerum habeat,

beat, quæ ex Ophyra Salomoni apportabantur: cujusmodi erant gemmæ pretiosissimæ, ebur, pavones, simiæ lignaque rarissima, ex quibus citharæ aliaque musica organa fabricabantur. Quod à Varrerio superius quoque inter cetera memoratum: Ubi Opinioni secundæ de Hispaniolâ respondet.

Quod habet porro pag. 119 Varrerius Jectani filium, qui Ophir est dictus, habitationem suam, ut memorat Moses cap. 11. Genes. versus Sephar, montem Orientis, sortitum; Et eum montem cum in India, & circa Indum collocet Hieronymus, quid esse certius potest, quàm Ophyræ regionem haud alibi quàm apud Indiæ Orientalis populos quærendam? Et vero juvet haud leviter ista, quod Ophradus, circa Indum quoque fluvius, si Ortelio fides, Plinio memoretur. Ophradus inquam, vestigium regionis Ophyræ haud obscure referens, Lib. 6. c. 17. quamvis apud Plinium, ubi Asiam descabit non tam Ophradi quam Ophari, Lagonum influentis, vocabulum occurrit. Cujus tamen ut in ista disputatione haud omitteretur mentio, monuit me amicus vetus cum ei nuper adessem deque hisce sermones cæderemus clarissimus ac reverendus vir Theologiæ D. In Locis Hebraicis.

Conſtantinus L,Empereur,qui præter exquiſitiſſimam ſacrarum literarum, qua excellit, cognitionem , linguam hoc tempore ſanctam Lugduni Batavorum profitetur utpote in Orientalibus vel maxime rebus illiſque linguis regnum nunc tenens.

Sunt vero & alii præterea , eſtque , ut videtur , coryphæus in his, Bened. Arias Montanus, qui, ut Hiſpalenſis , Hiſpaniæ ſuæ favens Ophyræ quoque regionem apud Peruenſes in Orbe novo veſtigandam vult; Idque, quod Ophir, ut conjectant, videatur eſſe à Radice *Parah*; à *Parah* vero *Peru* non obſcure deducatur. Quæ ſane conjectatio ejuſmodi eſt, quam ego, ut ille loquitur,nebulæ cyatho non emerim.Et eſt quoque conjectura altera , de qua, uti & priori iſta, ſubmonuit me clariſſimus collega & amicus noſter Doctor Dieſtius, Et verò hæc,priori, ut putant , ſolidior , ex aliâ voce, huic cognatâ , petitur. *Aurum* quippe quod *Ophir* appellatur in Navigatione Salomonis & Joſephati, illud 2 Paralip. 3, 6, 7. vocatur *Aurum Parvajim* , ut habent editiones Biblicæ clariſſimorum virorum Franciſci utriuſque Vatabli & Junij. nam textus vulgatus *aurum probatiſſimum* nominat. Hic autem *Parvaiim* in numero Duali , pro *perujim* , à *Peru* ſit ſingu-

ſingulari. Quo loci accurate ac provide additum oræ marginali à Junio, *Parvajim* Chavilæ regionem eſſe, ubi præſtantiſſimum aurum fuiſſe teſtatur Moſes Geneſ. 2. 11, & unde memorante primo Reg. 6, 20, Rex quoq; David ex devictis principibus illi regioni finitimis aurum eſt conſecutus; & cujus denique Plinius meminerit ſub corrupto nomine Babytaces memorante doctiſſimo eodem Franciſco Iunio Notis marginalibus ad Geneſ. 10, 7. Cum igitur tantis teſtibus Paravaica hæc regio intra Aſiæ terminos habeatur, & illis authoribus, qui alium, præter hunc noſtrum, orbem novere nullum, nominetur, quid ea quæſo ad Orbem illum novum, quem Peruanum appellamus? Lib. 6, cap. 27.

Quin, quod ex Talmudicis in Lexico ſuo adducit clariſſimus Boxdorfius, omnino obſervatione hic dignum, nullum ſcilicet 2. Paralip. 3, 6. voce *Parvaim* regionem, ſed aurum indicari, quod colore ſuo ſanguinem referat juvencorum: Talmudicos enim auri genera ſeptem numerare in *Joma*; quorum ſeptimum ſit aurum *Parvaim* 2. Paralip. 3. 6, ſic dictum, quod ſimile nimirum ſit ſanguini juvencorum: *Par* enim vocabulo *juvencum* Hebræis notari, quod nec diſſonet multum (ut obiter

hoc interiiciam) à noſtrate dictione *var* idem notante, Ipſa verba Buxtorpfij iſta ſunt: *Talmudici ſeptem auri genera numerant in Ioma* Fol. 44. 2. *Primum* זהב *generale eſt.* 2. זהב טוב *aurum bonum, Geneſ.* 2. 12. *quod diſtinctum ab auro vulgari.* 3. זהב אופיר *aurum Ophir, de quo in* אפר. 4. זהב מופז 1. *Reg.* 10, 18. *vide* פזז. 5. זהב שחוט 2. *Par.* 9. 15. *vide* שחט 6. זהב סגור 1. *Reg.* 6. 20. 7. זהב פרוים *aurum Parvajim* 2. *Par.* 3. 6. *ſic dictum quod ſimile ſit* לדם הפרים *ſanguini juvencorũ.* Hęc ille. Quibus ex verbis accuratiſſimi Buxtorfii liquere hoc etiam poteſt, aliud eſſe aurum Ophyranum & aliud viciſſim hoc Parvaicum. Hæc mihi præ ceteris palmaria obſervatio, ſuggerente præſertim eam, quem dixi, præſtantiſſimo Buxtorfio.

Sed ne, quod huc ſpectet, omiſſum à nobis quidquam videatur, ſubijciemus opportune, quid poſt Varrerium obſervarit geographus noſtri ſeculi celeberrimus Abrahamus Ortelius. Ejus in Lexico, quod edidit Geographicum, hæc verba ſunt:

Ophyra regio aurifera, in ſacris litteris unde Salomoni aliiſque Hebræorum Regibus, ternis annis (uti 3. Reg. 9. 8. 2. Paralip. c. 9. habetur) magna vis auri advehebatur. Sed ubi terrarum hæc regio ſita ſit, & an alio etiam nomi-

nomine cognita esset hactenus ignoratum fuit. σωφιρὰ & σώφις, *legunt lxx interpretes. Josephus eam in India ponit : & TERRAM AVREAM* χρυσὴν γῆν *suo tempore vocatam addit. Eupolemus auctor apud Eusebium lib. 9. cap. 4. Præperat. Evangelicæ VRPHEN* οὐρφη *appellat, & dicit insulam Maris Rubri esse; navesque cogi solere Melanis, Arabiæ urbe (Hesion Geber hanc vocat sacra scriptura: etsi Epiphanius* Atlon *in sacris literis prodat) Hinc Marius Niger eam AVREAM CHERSONESVM Ptolemæi interpretatus est, non parum enim ad terram auream alludit; & Rubri Maris nomen huc usque pertingere, ex classicis authoribus doceri potest. Sed hanc Chersonesum, auri divitem olim fuisse, nemo veterum, quod sciam, author est, neque nunc etiam esse, ex recentioribus palam est. Edidit tamen Caspar Varrerius Lusitanus nuper peculiare opusculum, de* Ophyra Regione; *in quo constanter asseverare multisq; argumentis persuadere conatur, sacræ Scripturæ* Ophyram *esse auream Chersonesum : aut potius omnem eam oram quæ Pegusiis, Malaca & Somatra continetur. In Bibliis Vatabli à Rob. Stephano excusis, pro* Hispaniola, *Novi Orbis insula, habetur. Postello autem* Peru *videtur : cui suffragatur doctissimus Goropius in*

ſua Hiſpania. Idem affirmat Benedictus Arias Montanus. Cujus viri ſententiam non ſolum ob multiplices ejus virtutes, quibus à natura abunde ornatus, ſed ob omnis generis doctrinæ ſolidam peritiam multarumque linguarum cognitionem admirabilem, libenter amplecterer, niſi deterreret me ab eâ vaſtus ille Oceanus intermedius, quem omnis antiquitas innavigabilem atque à mortalibus, quia ſacrum divumque ſedem exiſtimarit, navigatione minime violandam (ut docet apud Senecam Pedo Albinovanus) credidit. Neque ullum veterem autorem reperies, ab ullo mortalium ante repertum magnetis lapidis uſum (quem nuperum habemus) unquam tentatum, nec immerito. Neminem hoc enim potuiße, vel poſſe, norunt intelliguntque qui navigant omnes. Caſu forte aut felicitate hoc aliquando eveniſſe, ut credam, facit Plutarchus in Sartorio: At conſilio aut ſcientia hunc ab ullo trajectum, nulla apud priſcos ſive ſacros ſive prophanos ſcriptores memoria. Circa littora autem navigatum ſæpius, teſtes exſtant antiquorum Græcorum Peripli, ut Hannonis, Arriani, Jaſonis, Nearchi: & qui temporis injuria intercidere Cteſiæ, Menippi, Marcelli, Alexandri, Theophili &c. Ego Ophyr Cephalam *vel ut alij pronunciant* Sofalam *Africæ verſus Orientem regionem interpretari*

cum

cum Volaterrano malim, tum quod hæ, teste gravissimo Jo. Barroso, admodum aurifera sit, adeo ut etiamnum nihil præter aurum, ut Lusitanorum testantur peregrinationes, exteris mercatoribus communicet: Tum quod scribat in sua Indica navigatione Thom. Lopesius, hos Sofalenses habere libros patria lingua scriptos, in quibus legitur Salomonem regem tertio quoquo anno hinc aurum tulisse. Ex Ophir etiam ebur habuisse Salomonem sacræ referunt literæ, atque hoc non ex Peruana regione, ubi nullus unquam Elephas. Pro Ophir, Ophats ὄφατ legit Ioan. Tzetza, & insulam, sive peninsulam auream in Indiâ esse dicit. De Ophir adde quod habet Josephus à Costa Societ. Jesu lib. 1. c. 14. de natura Novi Orbis. Vbi Ophir Indiam Orientalem, cum Iosepho Iudæo interpretatur. VPHAS locus unde aurum adfertur, Hierem; 10. MOPHAS legunt lxx. OPHI autem D. Hieronymus & Chaldæus.

Hactenus Ortelius. Qui, recitato, quid alii insuper sentiant, in eandem cum Volaterrano sententiam concedit, esse scilicet Ophyram Africæ Æthiopicæ regionem versus Orientem; quod ea præcipue aurifera sit &c. Quæ à Varrerio cum satis superque superius pag. 305 & seqq. inspecta discussaque sint, hic repetere, esset,

ſet, quod dicitur actum agere. Itaque lectorem eo remittimus.

II.

COMMONITIO;

Quâ Problema Keckermani III & V propius inſpicitur ac illuſtratur.

ACceſſum & receſſum Oceani, de quo Problemate III diſputatur à Keckermanno, eleganter ac propriè Latinis olim veteribus *Veniliam* & *Salaciam* dictum docet nos Romanorum doctiſſimus Varro. Ejus verba ſunt: *Venilia, unda quæ ad littus venit; Salacia, quæ ad ſalum redit.* Hujus autem utriuſque, veniliæ inquam ſalaciæque expertem eſſe Oceanum Balthicum & Liguſticum, ob cauſas, quæ à Keckermanno ſunt memoratæ, non tam mirum ſit, quam quod idem quoq; de Indico novi orbis littore refert Joh. Metellus Metalius in Præfatione ſua ad Antoninum Auguſtinum, quæ libris Hieronymi Oſorij Luſitani de Rebus Emmanuelis eſt præfixa. Etenim in ea (addo, quia nihil ejus à Keckermanno memoratur) hæc leguntur, Numero IX: *Oceanus quà auſtrale novi orbis latus adluit, æſtus eſt vehementiſ-*

Lib. 4. de Analius.

ſimus,

ſimus, adeo ut in nonnullis promontoriis, ad duo milliaria decreſcat, in aliis verò, aquam ejus regreſſam è ſummo littore vix viſu aſſequi queas. at idem ille, quà boreale latus occupat, nullam propemodo acceſſus receſſuſque reciprocationem admittere, magno cum philoſophorum ſtupore deprehenſus eſt: mirari hoc multo inquam magis nos oportet, cum apertum hîc ac patens littus ſit. Sed ut intelligatur quod nam hic novi orbis littus innuat Metellus, ſciri refert, capere haud dubio eum id littus quod eſt Oceani Sur ſive Pacifici dicti. quod doceat nos in Exercitationibus ſuis adverſus Cardanum Julius Scaliger. Nã de altero littore, quod noſtro orbi adverſum eſt, quis authorum hoc tradidit; Quamvis & hic quod memoratur, penes authorem, quod dicitur, fides eſto. Verba interim ejus, quia digna ſunt quæ adſcribantur, iſta habent: *In Oceani Sur littore boreali nullus eſt æſtus. In Britannico vehemens ubique. In Auſtrali Sur ad Beregam validus. In Liguſtico veſtigium nullum. In Adriatico inſignis. In plaga Indica ſecundum Gangis atque Indi, fauces magnus. In Erythræo tantus, ut oſores ſacrarum literarum temere mentiti ſint, Moſen in ſicco tranſiiße, nactum refluxioniis occaſionem. Quod tamen fieri non potuit. propterea* Exercit. 52.

quod ad Sues usque quod intimo in recessu jacet, mare operit litus illud: neque unquam regrediens ità nudat, ut inferiores partes, qua transierunt Hebræi, sua decessione aperiat. Huc usque ille. Et præter hæc, notabile etiam est, hucque spectans, quod Garumna, Galliarum clarissimum flumen, septenis horis Oceanum accedentem experiatur, ac quinis vicissim eundẽ dimittat. Cujusetiam inæqualitatis rationem inquirens magnus ejus olim accola Julius idem Scaliger, ita loquitur, vel, ut proprie magis dicam, argumentatur in libris de Subtilitate adversus Cardanum: *At cur septem horis intumescit Oceano Garumna, quinque detumescit?* Propterea *quod Atlanticus Oceanus accedente Luna ad meridiem Venetiarum, insinuat sese in arcticos sinus. Qua protrusione abit aqua sursum versus à littoribus Aremoricis ad litora, qua incurvescunt inter Tartaros & Terram laboratoris, trans Grunlandiam, & insulas parum notas nobis. Itaque non implet Garumnam, quantum capere potest: quoniam partim abit. Vbi vero Luna cursum perfecit illius clivi, cujus fastigium directo despicit Burdegalam: tunc ab Arctico sinu redeuntibus aquis, non solum obsidentur Garumnæ fauces, ne descendat, atque exeat aqua sed etiam complentur novis fluctibus.*

Exercit. 52.

bus. Qua impressione fit, ut addatur ad incrementi tempus ordinarium hora illa, quæ septima numeratur in accessione, primaque debebatur discessioni. Unde quod reliquum est ad horam duodecimam, qua alterius quadrantis cursus terminatur, in regressu quinque tantum horis expeditur. Non enim verum est, quod ajunt, Produci tempus ingressionis, quia resistat Garumna. Quippe neque locus, neque meta ulla proposita est, aut destinata, ad quam maris ultimus fluctus pertingere jubeatur. Sed celerius tantum minueretur, si eßet ita. Quod si alteram velis adjungere, causam, non laboro. Moles enim maris gravior: idcirco diutius instat: & ubi subducit sese, abit celerius. Hucusque Julius Cæsar Scaliger. apud quem plura ibidem huc spectantia, qui inquirere volet, reperiet. Exercit. 52.

Quod deinde sequitur altero post tertium, de quo jam dictum, Problemate nimirum quinto pag. 376: *Typhon est flatus capitalis & velut nautarum hostis, utpote ex diversis nubibus, vel ex diversa ejusdem nubis parte globatim protrusus inque se tortus ac retortus in gyrum &c.* Quod alibi memoratum nobis scio, miror Physicorum nemini, præsertim iis, qui ex SS. literarum observationibus vel augere Physicen, vel ipsis etiam SS. scripturis ex Physica aliquam lucem *In disputationibus nostris Physicis.*

lucem fœnerare ſtuduerunt, cujuſmodi præter alios fuit clariſſimus theologus Lamb. Danæus, & ipſe hic quoque qui Phyſicen edidit Keckermannus, de Typhone hoc vento nihil addidiſſe, quod ei illuſtrando eſſet, ex iiſdem ſacris Scripturis. præſertim cum ejus in Navigatione beati Pauli tam diſerte meminerit in Actis ſuis divus Lucas, qui, vocabulo haud omnibus obvio, *Euroclydona* appellatum ait. Legitur enim Actor. cap. 27. verſ. 14. *Miſit ſe contra ipſam ventus Typhonicus, qui vocatur Euroclydon.* Vetus verſio reddidit non *Eurolydon*, quomodo textus ipſe Græcus habet, & commode retineri id vocis potuerat, ſed voce Græca & Latinâ minus concinnè vertit *Euroaquilo*. At quomodocunq; vertatur, dum ait eſſe *ventum Typhonicum*, ſatis indicatur non regulare ſed irregulare venti genus habendum, quo nimirum veluti typhone quodam & vento turbulento huc illuc jactati, aliiſque ſuperingruentibus tempeſtatibus à recto curſu ac navigatione inſtitutâ aberraverint. Batavos hodieque Belgaſque omnes ejuſmodi ventum **een Werbelwint** appellare ſatis conſtat. Eſt enim Græcis κλύδων idem quod *vortex* & *fluctuatio* Latinis; rerum naturalium ſcriptoribus *Typhon* ſeu

Turbo;

Turbo; quomodo & Lucas ipſe interpretatur, cum dicat, *ventus Typhonicus, qui vocatur Euroclydon:* quamvis verſiones Germanicæ ac Belgicæ ad præſcriptum vocabuli *Euroaquilio*, quod eſt in Latinis verſionibus à vero longiuſcule recedentibus, reddiderint **Noordooſt**, cum debuerint ex ipſo textu & voce Græcanicâ interpretari **een werbelwint.** Id enim eſt *ventus Typhonicus* & *Euroclydon.* Germani dicunt **een krauſelwint.** Faciunt huc verba Plinij lib. 2. cap. 28: *Vagi & ruentes flatus, verticem faciunt, qui Typhon vocatur, id eſt, vibratus ecnephias.* Quid clarius potuit, ad explicandum, quod innuere ſe voce *Euroclydon* divus Paulus ſignificat?

III
COMMONITIO

ADdi his ob ea, quæ habentur Pdoblemate 1 de Hiſpanis, Luſitanis, Anglis, Hollandis ac illis, qui navigationibus quã maximè celebrati memorantur, paucula poſſunt. Et quidem ſuper eo argumento cum in literas retuliſſe nonnulla Richardum Dinothum reperiam, ejus primo loco verba ponam; atque inde, ſi neceſſum ſit, de meo nonnihil ſubijciam. Ait Dinothus: Lib. 3. de Reb. Bellicis.

NA-

NAVIGANDI artem antiquiſſimam eſſe, ex Beroſo videre eſt; qui in ſeculo aureo Janum & Saturnos in novas colonias claſſe advectos eſſe ſcribit. Primi in ea Ægyptii excelluerunt, qui longè maria, inſulas & littora luſtrarunt, ut terrarum metas invenirent, adeò ut doctrinæ coſmographicæ initium darent, & aliis populis ſimilia tentandi & explorandi exemplo eſſent. Primus omnium regum Seſoſtris longis navibus uſus, Arabicum ſinum prætervectus populos Rubri maris accolas uſque ad Indos penetrans in poteſtatem redegit.

Diod. Sicul. lib. 1. Ann. Viterb. in Manet.

Turrheni fortitudine egregii, claſſe potentes, quum diutius mari imperitaſſent: Italum pelagum à ſe Turrhenum denominaverunt, nauticarum rerum adeò periti, ut quocunque claſſe deferrentur, facile victoria potirentur.

Diod. lib. 5. Halyc. lib. 1. Ann. Viterb in Maneth.

Poſt illos Tyrii in ea arte excelluere, qui libero utentes mari ſæpe terras cæteris nationibus incognitas adiere: In ultimo Hiſpaniæ tractu inſulam Oceano circumfuſam perexiguo à continenti diviſam freto condiderunt: & in Africa Uticam, in Bœotia Thebas, ſic ut eorum coloniæ toto orbe diffuſæ fuerint. Tanta famæ celebritate florentes rex Judeæ Salomon ſibi fœdere

1. Reg. vel. Pa. lib. 2. Cur. lib. 3.

fœdere ſociare curavit, cui aurum & gemmas, aliaque rara & precioſa adferebant. Cúm autem totum triennium in una navigatione conſumerent, multa maria ſulcaſſe, & longinquas mundi partes exploraſſe facilè credere eſt. nec ullos populos poſtea eorum conatus adæquaſſe legitur.

Phœnices claſſe in Libyam venientes Byrſam, quæ & Carthago nominata eſt condidêre, demum ſubacta Libya magnam maris tenuêre partem. Vlterius bella moventes Siciliam, Sardiniam, cæteraſque iuſulas, quæ mari illo continentur occuparunt, & in Iberiam uſque emisêre colonos. App. in. Lybic.

Carthaginenſes adeò claſſe valuêre, ut maris mediterranei imperium diu tenuerint, à Romanis Sardiniam, & omnen Iberiam abſtulerint, Hannone duce à Gadibus circumacti ad extreman Arabiam uſque permearint. App. in. Lybic. Plin. lib. 2. cap. 6.

Liburni Illyrici populi navali gloria etiam percelebres fuêre, qui Ioniam inſulaſque Ægei maris dicto audientes habuêre. Velócibus navibus uſi, qua ex cauſa Romani naves, quæ celeritate levitateque præſtant, Liburnicas nominarunt. App. in Illyr.

Nec poſtremun hac in parte laudis Athenienſes locum ſunt habituri, qui magno claſſis

classis apparatu freti imperium amplum & victorias insignes acquisiêre. Ad classem, quæ cum Xerxe ad Artemisium felici eventu pugnavit; in qua 378 naves fuisse dicuntur: majorem partem suo milite, suisque sumtibus instruxerunt. In Salaminensi prælio naves 400 habuêre. unde præcipua earum victoriarum palma ipsis extra omnem controversiã attribuitur. Cùm bellum adversus Lacedæmonios moverunt: triremes ad quadringentas habuêre præter alia navigia. In multis & maximis certaminibus cum Persis, Macedonibus & Lacedæmoniis pugnantes superiores fuêre, in paucis prospero successu caruêre. Victis Persis Græciæ & Asiæ tributum ad tuendum maris imperiũ imposuêre: tanta in re navali eorum fama apud exteros fuit; ut Persæ contra Lacedæmonios bellum gerentes semper Atheniensem ducem quærerent, quem classe sua præficerent. Tantum etiã emolumenti inde sunt assequuti, ut quicquid rarum aut suave, vel in Sicilia, vel in Italia, Cypro. Ægypto, Lydia, Ponto, Peloponneso, vel alibi erat, in unum coegerint ob maris imperium.

Iustin. lib. 16 Plut. in Them. xeno. hist. Græc. lib. I. 6. 7. & lib, de reb. Athen Thucy. beli. Pelop. lib. I.

Cilices piratæ, quibus se aggregarunt Syri, Cyprii, Pamphilii & Pontici non solum mare, quod ad orientem spectat: sed quod-

quodcunque intra Herculeas columnas ſitum eſt, in poteſtate habuerunt. Aliquot Romanorum duces navali prælio ſuperarunt, inde tanto terrori fuere omnibus, ut in tam magno ſpacio nemini tutam navigationem relinquerent, bello Mithridatico regiæ claſſi contra Romanos operam navarunt, deinde Romanis è civilib. bellis inter ſe commiſſis multitudine freti mare præſidio claſſis deſtitutum invaſerunt, inſulas & maritimas urbes expugnantes. Naves habuere militariter inſtructas amplius mille, urbes cœperunt ultra quadringentas. Claſſes eorum fuere ſtrenuorum virorum copiis, gubernatorum peritia, levitate atque celeritate navium magnifico apparatu, longo uſu & exercitatione formidabiles. Omne internum mare ab illis occupatum, unde nemini commercia libera: ſed omnia invia, infida, clauſa, donec à Pompejo fuerint debellati.

Plut. in Pomp. App. in Mithri. Zonar. ann. Tom. 2

In declinatione Romani imperii Saraceni innoteſcere cœperunt, qui in re navali poſtea maximam gloriam ſunt aſſequuti: ſicut eorum res bello geſtæ oſtendunt. Ab Alexandria cum valida claſſe ſolventes Rhodum nobilem in re nautica inſulam vi cœperunt. Deinde in Ægeum mare delati multas ex Cycladibus afflixerunt. Inde in

Siciliam navigarunt, quam maritimis in locis spoliatam incendiis etiam per mediterranea editis vastaverunt. Numidiam quoque Tingitaniamque ac Mauritaniam occupavêre, Oceanum Atlanticum, & terrarum finem opum suarum terminum statuentes. In Europam per fretum Gaditanum trajicientes totam Hispaniam sibi subjecêre, præter Astures & Cantabros. Italiam ingressi Capuam, & Genuā cœperunt. Venetorum classem apud Siculum mare cū multa clade vicerunt. Ita omnibus formidabiles propter rei navalis peritiam evasêre. tantam potentiam ex ea adepti, ut à Persico sinu ad Gades usque maris imperium tenuerint. Numerosam habuisse classem hinc facilè videre est, quòd Muhanias unus ex eorum ducibus inclytæ famæ & celeberrimi nominis mille & septingentis navibus Cyprum invasit, cœpit.

Blond. de reb. gest. Venet. Æmyl. lib. 2. Func. in Chron. Coel. Curio. Sarr. hist. lib. 4.

Decrescente eorum potentia Dani piraticam exercentes Flandris, Frisiis, Gallis, Anglis, Scotis, Orcadibus insulis & omnibus Balthici maris accolis multa damna intulêre, cùm è certaminibus sæpius victores evaderent. Victoria utentes Angliam sunt adorti, quam vectigalem fecerunt. Maris imperium à Balthico oceano ad Thulen usque insulam diu tenuerunt.

Saxo Grammat. hist. Dan. lib. 4. Lil. in Ch.

Horum

Horum institutũ sequuti Normanni sive Norvagi valida instructa classe mare oceanũ & mediterraneum sulcantes omnibus maritimis populis formidabiles evaserunt. Angliæ, Flandriæ, Gallicæ Hispaniæ & Italiæ oras immaniter devastarunt, & spoliatis ac eversis in Italia & Gallia multis urbibus Gallos ad concedendum illis habitationis sedem coegerunt. Æmyl. lib. 3.

Tres fuêre in Italia præpotentes maritimis in rebus urbes: Pisæ, Genua, Venetiæ, quæ post Normannos in re navali domi, militiæque celebres exitêre. Eò magnitudinis rem Pisanam hac in parte aliquando evectam memorant, ut centum eorum familiæ totidem rostratas naves privato sumptu ædificasse, & exornasse ad bellum Ligusticum dicantur. Æmyl. lib. 6. Iou. hist. 2.

Genuenses inveteratæ navalis disciplinę laude cunctas nationes olim antecelluerunt, & longé sulcando maria versus orientem usque ad pontum Euxinum condita in Taurica Chersoneso Theodosia nobilissima colonia famam extenderunt, & in bello sacro egregiam operam navarunt. Æmil. lib. 6. Ion. hist. 13. & 34.

Veneti mercimoniis dediti multũ classe huc usque valuêre mercaturam per omnes orbis partes exercentes, multos in Syria portus occupavêre, & in bello sacro

multam operam & laudabilem prestitere. Unde in precium illis cessit Creta, quæ nunc Candia dicitur, & diu Saracenorum & Turcarum arma insigni cum laude sustinuerunt, & quod ad gloriæ culmen eos evexit: Genuenses de maris imperio cum illis decertantes post varia prælia manus dare coegerunt.

Mach. hist. Flor. lib. 1. Sabell.

Sed horum omnium gloriam patrum nostrorum memoria Hispani obscurarunt periculosis & stupendis navigationibus ingenti ausu susceptis, quibus mercaturæ negocium tum sibi tum principibus suis utile admodum & quæstuosum reddiderunt, nationesque barbaras insanis superstitionibus servientes ad vitam humaniorem, & ad cultum veri dei adduxerunt. Tres autem ante alios maxime clari & memorabiles extiterunt, Ferdinandus Cortesius, Blascus Nonius & Magalanes. Cortesius in postremum occidui litoris sinum delatus ad Mexicana regna terrestri itinere contendens subactis Indis Themistitana urbe potitus est, quum fabricatis navigiis eam urbem sallo in stagno positam, ædificiisque & incolarum frequentia Venetæ urbis instar admirabilem multis præliis prospere factis expugnasset. Exinde ulteriora perquirere constituit, novamque expe-

expeditionem ad occidentis oram maritimam suscepit: eo quidem apparatu, ut non modo sarcinarum & tormentorum onera secum ferret: sed duos etiam myopa- Iov. hist. 34
rones soluta compage plicatiles multorum Levin. Apoll. lib. 2.
servorum opera comportari juberet, ut his tentaret oceanum, quem nō amplius quingentis leucis abesse constabat. Cum ad oceanum perventum: Cortesius latè explorato littore, notatisque nemoribus unde materia ædificandæ classi peti posset, Temistitam est reversus, ibique incolis Christianæ religionis cultum persuasit.

Blascus Nonius diu Pariæ terræ, & Darienæ regionis littora legens repetit Isthmum ad Urabanum sinum, quo duo maria ingentia dirimuntur. A Comogro siquidem ingentis amnis ostio Dari, ejusque lit- Iov. hist. 14
tore per inaccessos prope montes summa Levin. Apoll. lib. 1.
juga tenuit, & subjectum in adverso littore vastissimi pelagi sinum conspicit, in quo auri & unionum ditissima regna reperta sunt, atque item conspectæ, aditæque aliquot insulæ earum rerum opulentia insignes. Peruana & Cuscana regna auro & gemmis scatentia successoribus demonstravit.

Magalanes alterum Pariæ terræ littus in orientem obversum quinque navium

claſſe percucurrit,legendoq; oram præter-vectus lineam capricorni, nec multum inde prope antarcticum circulum, & ad ipſā æquatoris lineam Moluccas quæritans immenſi prope ambitus inſulas Iavanā, Pornem & Subutham ipſa Britannia majores invenit, è quibus Moluccæ propinquæ ſpectabantur: quas ut in votis habebat adire non potuit. Cum inſulanis enim acrè dimicans occubuit. Huic propter difficilimam, & periculoſiſſimam navigationem palma datur. Corteſii navigatio, ut magnificentior, ita utilior & fœlicior fuit, quamvis honoris prærogativa omnium harum navigationum Chriſtophoro Columbo Liguri multorum judicio debeatur adſcribi. Alterum enim prope terrarum orbem intentato prioribus ſeculis Oceano ad occidentem fælicibus auſpiciis navigationis ſtudioſis aperuit, & aliis qui poſt eum majora feciſſe videntur, iter oſtendit, & ſi commoditatē ſpectemus, non minus glorioſa Hiſpanicæ genti ejus navigatio fuit, quàm Corteſii vel Blaſci, vel Magalanis. nam Hiſpaniolam & Cubam ingentes inſulas auri copia ditiſſimas Caſtellæ regibus vectigales fecit, & in commodiſſimis locis ædificatis arcibus, & impoſito præſidio tutum Hiſpanicæ genti receptū dedit, & rectè

& recte æstimantibus Herculis & Liberi ,,
patris famam obscurasse videtur. Nam ,,
Bacchi in Indiam navigatio nullo pacto ,,
cum Columbina comparanda venit, nec ,,
periculi magnitudine, nec commoditatis ,,
cumulo. Qui vero decus navalis discipli- ,,
næ Herculi tribuunt, quum in freto Ga- ,,
ditano ipsius navigationis trophea po- ,,
nunt: maximè ridiculos se ostendunt, cum ,,
vento secundo in uno mense ea navigatio ,,
commodissimè fieri possit. Hactenus Dinothus.

At præter eos, & qui vel omissi ipsi vel præteriti, inter vetustissimos referri Massilienses possunt. Hi quantopère mari valuerint ejusque gnari habiti; ostendat vel solus Pytheas Massiliensis, cujus superius non semel & cap. præsertim 4. l.2. Discuss. Hist. ex Strabone memini. utpote qui totam exteri ac borei maris oram perlustrando primus omnium Thulem ac omnem propemodo septentrionem Gallis Græcisque aperuit, ut est à nobis memoratum loco jam dicto prolixius. Atque inde inter recentiores post Cortezium, Novium, Magalanem Columbumque Dinotho memoratos, non omittendus quoque, præter alios, Americus Vesputius, & nostro seculo, qui claruêre inter Anglos *Franciscus*

Dracus, & *Thomas Candiſchius.* Dracus anno 1577 è Plimuthâ, Angliæ portu, cum navibus quinque ſolvens, ac ſuperato intra paucos menſes freto Magalanico, primus fuit, qui mare illud, quod Pacificum ſive le Sur vocatur, poſt Magalanum, præter Hiſpanos, navigavit. Hic poſtquam auro Theſauroque, quem ingentem ſibi comparaverant, Hiſpanos exuiſſet, in Angliam circa an 1580, orbe terrarum tribus plus minus annis circumnavigato, magna cum omnium admiratione reverſus eſt. Regina benigne eum excepit; navem in monumentum orbis feliciter circumvecti juxta Depfordiam ad Tamiſim ſubduci juſſit, & in eâ, magnis ibi ceremonis memoriæ ſacratâ, cum ſuis epulata Dracum equeſtri dignitate ornavit. In laudem vero Draci totiuſque expeditionis affixi malo navis, præter alios, verſiculi, quos dignos judicavi, qui ſubjicerentur, ſunt autem iſti:

PLVS VLTRA Herculeis inſcribas
DRACE columnis,
Et magno, dicas, Hercule major ero.

DRACE, pererrati quem novit terminus orbis,

Quemque

Quemque simul mundi vidit uterque Polus;
Si taceant homines, faciunt te sidera notum.
Sol nescit comitis non memor esse sui.

Digna ratis quæ stet radiantibus inclyta stellis;
Supremo cœli vertice digna ratis.

Thomas deinde *Candischius* sub annum 1586. è Suffolciâ tribus cum navibus in apertum Oceanum excurrens, ac Fretum mox Magalanicum feliciter pervectus in orâ Chili, Peruviæ & alibi cum Hispanis haud semel conflixit; ac naves eorum & in his Regiam unam, maximis opibus refertam, juxta Calliformiam cepit ac diripuit. Inde per Philippinas, Moluccas, Promontorium Bonæ spei ac Helenæ insulam, post biennium magnâ cum prædâ, nec minori cum gloriâ domum rediit; utpote suæ gentis alter, qui Orbem terrarum circumnavigavit.

Hos æmulati haud multò post Batavi, & in his omnium primi, *Jacobus Mahu* & *Simon de Cordes*, &, qui eos proximè est insecutus, *Oliverius* memoratur *de Noort*. Hi summis cum difficultatibus nec exigui

temporis dispendio, molestissime superato Magalanico Freto, mare tandem *le Sur*, Pacificum sive Australe dictum, intrarunt, ac Orbem deinde terrarum circumvecti ad suos similiter salvi redierunt. Unus eorum, *de Weert* dictus, vi tempestatum atque aquilonis Caurique pertinacissime spirantis vehementiâ, repetere Fretum, atque inde inglorius redire domum adactus fuit, annum circa 1598. Quibus postmodò animadversis, & ut evitaretur non periculosus tantum ille, sed & tædiosus ac morosissimus tot per anfractus angustiasque Magalanici Freti transitus, insequenti tempore, qui fuit annus 1615, captâ opportunitate, duabus cum navibus ad id destinatis, relicto ad dextram Freto jam dicto, novũ ac facilẽ invenit trãsitũ magni ausus atq; animi juvẽis Jacobus Lemerius Amstelodamensis, ac suo de nomine nuncupatũ, Orbi usurpandũ reliquit. Imprimis Hispaniarum Rex, compertâ tanti transitus commoditate, cum ejus assidue classes id pelagus frequentare necessũ haberent, haud cessavit triennio post Johannem Morum eo amandare. Ac exploratis omnibus, cõgnitoque, post Fretum Lemerii, quod expediti ac brevis est transitus, apertum esse in mare le Sur progressum, nec uspiam occur-

occurrere syrtes aut littora, quæ navigantem remorentur, suum quoque in usum oblatum tam insperatò beneficium constituerat traducere;in animo habens, si ità res tulisset, imposito præsidio fauces eas aliis occludere. Sed deprehenso, patentiores eas opinione suâ esse,labori atque impensis ulterioribus supersedisse videtur.

Ultimò hoc quoque libet adjicere, occasione navigationum, quas tentasse vetustissimos illos diximus, ut Pytheam Massiliensem, & qui secuti sunt boreales præcipue populi, quærereque,quomodo vastissimum illi atque apertum mare sine pixide nauticâ transmittere potuerint? Nam Pytheas enavigans è mari Mediterraneo, Freti Herculei fauces transgressus non tantùm est, sed apertum exinde boream versus mare percurrens, nec uspiam littus legens, Thulen atque oram illam universam boreæ, inter primos suo ævo, id est, ante natum Christum,posteris aperuit ac demonstravit;ut de aliis item dicere ac repetere nunc omittam. At id sine pixide nauticâ fieri hodie posse vix existimatur. quod indicare quoque superius Probl. 9. Keckermannus volens, attulit ex Historiâ Indicâ PetriKitzi hæc verba: *Sine acus marinæ usu navigatio in alto Oceano institui non potest.*

poteſt. Adeò ut dicere fere habeam, præter ſidera, ac ſtellam vel maxime polarem, ad quam curſus ſuos vetuſtiſſimi illi direxêre, fuiſſe haud dubio penes eos, latentibus præſertim ſtellis, ac nubilo cœlo, navigandi quædam ſubſidia, quæ hodie deperdita nos fugiant; ut ſolent aliis atque aliis temporibus deperire jam hæc ac illa viciſſim renaſci inque uſum traduci. Sed de his, & ſi quæ referri præterea huc poſſunt, aliàs & alibi, ſi Deus & Muſæ volent, opportunius.

FINIS.

Gratia & Gloria Deo Servatori.

ADDEN-

ADDENDA.

FEstinantibus operis & dum alia atque alia aliò trahunt, omissa nonnulla, quæ addi prioribus non incommode possunt. Et quædam quoque ab amicis oportunè suggesta aurem mihi vellunt dignaq; existimo, quæ vacuum hoc spacium occupent. Ejusmodi, præter cetera, vel id esse potest, quod pag. 153. vers. 29. his verbis habetur, *cum servitus concessaq; potestas nihil tale polliceri videantur*. Nam iis non inconvenienter adjici continuo posset: *servitus inquam, cujusmodi non tam phrasi juris, quàm ex vocis notione hîc accipienda, quæ potestas concessa, sive, ut literæ regiæ habent, licentia nominatur.*

Hinc etiam subjungenda sunt ad primæ Mantissæ pag. 248. vers. 15. ubi de Constantino Magno agitur, illa verba: *Quid esse clarius potest, quàm alibi natum Constantinum Magnum, &, ibi defuncto jam patre, veluti à borea exortum Solem imperiòque à milite inauguratum præfectumque?* Illis inquam verbis adjicienda ex oratione sive Commentario V. C L. Huberti Giphanii super Imperatore Fl. Justiniano ista pauca:

Juvat

Juvat hæc haud leviter doctissimus clarissimusque Giphanius. Cujus sunt verba:

Volui auditores paulo esse longior in patria Justiniani investiganda, & veluti ante oculos ponenda, non modò propter hunc clarissimum Imperatorem, sed etiam propter Constantinum Magnum, quem videor mihi observasse ex eadem terrâ Dardania oriundum. Sic enim ait Trebellius Pollio in Imp. Claudio, ex cujus sorore natus est Imp. Constantius pater Constantini Magni: in quo bello (Gothico) equitum Dalmatarum ingens exstitit virtus, quod originem ex eâ provincia Claudius videbatur ostendere: quamvis alii Dardanum & ab Ilio Trojanorum atque ipso Dardano sanguinem ducerent trahere. Et mox: Claudius, Quintillus, & Crispus fratres fuerunt; Crispi filia Claudia: Ex eâ & Eutropio, nobilissimo gentis Dardanæ viro, Constantius Cæsar est genitus. De eo & Imp. Valerianus in epistolâ quâdam: Claudium Illyricianæ gentis virum Tribunum Martiæ quintæ legioni fortissimum dedimus. Et in aliâ epistola: Claudio ex regione Dardaniâ dabis milites ducentos &c. Plerique putant, Constantinum in Britanniâ natum: Ejusque matrem Helenam Cœlii nescio cujus Britannorum Regis filiam fuisse comminiscuntur: ignari scilicet, ortum & natalem Cæsarum esse duplicem: unum

Ex Oratione de Fl. Iustiniano Imp.

unum hujus lucis & vitæ, alterum imperij. & hunc alterum, scilicet imperij, Britanniæ imputare potest Constantinus Magnus. O fortunata, inquit Panegyrici scriptor, & nunc omnibus terris beatior Britannia, quæ Constantinum Cæsarem prima vidisti. Sed de hac re alio in loco oportuniore, Deo adjuvante. Hactenus Giphanius.

Pag. 400. Lin. 21. *qui Hesperides nominat.* illis addendum continuo, *ut omittam, qui citatur de Mirabilibus Mundi Aristotelis liber, eum dubiæ esse fidei, nec ab omnibus hunc in censum referri.*



ERRA-

ERRATA.

PAg. 18. lin. 18 leg. *item*. Pag. 25. lin. 10. leg. *provinciis*. Pag. 26. lin. 5. leg. *eisque*. Pag. 53, lin. 23. leg. XXV Pag. 187, lin. 9. leg. *repertam*. Pag. 215, lin. 11, leg. *r.prejst*. Pag. 223, lin. 21. leg *factitata* Pag. 241, lin 5 leg. *jumenta*. Ibid lin. 26. eg. *finem*. Pag. 249, lin. 22 leg. *tyrannus* Pag 319. ad marginem leg *Genes*. 11. Pag 322. lin 12. leg *pretiosissima*. Pag 387, lin. 6. leg. *promanans* Pag 401, lin. 23, leg. *describit*. Pag. 404. lin. 2 leg. *Buxto fij* Ibid. lin 18. leg. *Buxtorphio*. Pag. 411, lin. 22. leg. *nubibus* Ibid. lin. 27, leg. *neminem*. Ibid, leg. *praeser tim eos*. Ibid. lin. 29. leg. *etiam* Pag. 413, lin. 5. leg. *Euroaquilo*. Ibid. lin. 19. leg. *Problemate*. Monendus postremo lector, verba Dinothi, quæ pluscula citantur pag. 414. ea ad oram semilunulis notanda adusque pag. 432.

